



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio X. De Voluntate Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

QVÆSTIO X.  
De Voluntate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 19. aa. 12. q. 20. aa. 4. & q. 21. aa. 4.

**A**bsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An, & quarum rerum voluntas sit in Deo. II. Quinam actus voluntatis sint in Deo. III. Quotuplex sit diuina voluntas. IV. Quæ sit diuina voluntas; & quidnam formaliter sit liber a Dei volitio. V. An sit aliqua causa, seu ratio diuine voluntatis & quisnam in actibus ipsius sit ordo. VI. An voluntas Dei necessitatem quibusdam rebus volitis imponat; & quenam in effectibus creatis sit radix contingentia. VII. An, & qua ratione generatim Deus actus liberos, & cetera quæ in hoc mundo fiunt, sua voluntate prædefiniat. VIII. Qua ratione diuine voluntatis efficacia, eiusque præfinitiones cum libertate arbitrij concilientur: & an absoluta ac plane antecedens præfinitio actus humani, pugnet cum libertate actus prædefiniti.

DVBIVM I.

An, & quarum rerum voluntas; quæ actus voluntatis sint in Deo.

S. Thomas 1. p. q. 19. a. 1. 2. & 9. & q. 20. & 21.

**A**git quidem S. Thomas de actibus diuine voluntatis, speciatim de Amore, Iustitia, & Misericordia, primum inferius in proprijs quæstionibus, 20. & 21. sed quia res connexa est, & magna ex parte etiam obiecta diuine voluntatis concernit, simul hic cum ipsis obiectis à nobis pertractabitur.

**A**ssertio I. Esse in Deo tanquam intelligente & viuente perfectissimo voluntatem, & naturali ratione euidentem est, & ex fide constat. Ita S. Thomas hic q. 19. a. 1. omnesque Doctores ceteri in 1. d. 45. Fides constat ex innumeris Scripturæ locis: è quibus vnus hic sufficit, Psal. 113. v. 3. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Ratio est. Quia commune est omni substantiæ, vt proportionatū suæ formæ ac naturæ appetitū habeat; merè quidem naturalem, substantia expers cognitionis; animalem, sensitiuam; rationalem, quæ voluntas dicitur, substantia intelligens: cum ergo Deus sit substantia perfectissimè intelligens, necesse est etiā, vt sit appetitū rationali, seu voluntate præditus.

**A**ssertio II. Voluntas Dei ipsa est ipse Deus, ac essentia Dei; à qua, pinde à parte rei nullo modo distinguitur. Ita S. Thom. cit. a. 1. & patet ex simili de intellectu diuino ex q. præc. dub. 1. ac ex dictis de simplicitate Dei, atque attributis eiusdem in genere quæst. 2. & 3.

**A**ssertio III. Voluntas Dei habet quidem etiam sua obiecta, à quibus terminatur; sed extra se nulla, à quibus mouetur aut causatur; ac proinde est ab omni obiecto creato planè independens. Ita S. Thomas q. 19. a. 1. ad 3. Et patet in simili ex dictis de intellectu q. 8. dub. 1. vbi simul etiam diximus, actum intellectus diuini, nec ab ipso quidem Deo proprie dependere vel causari; cum sit ipse Deus: quod pariter etiam voluntati applicandum est. Hæc de diuina voluntate secundum se ac in genere; nunc de obiectis eius in specie.

**A**ssertio IV. Primarium diuine voluntatis obiectum, est ipse Deus: seipsum enim vult ac diligere necessariò; & quicquid extra se diligit, propter se ac suam bonitatem diligit. Ita S. Thom. ead. q. 19. art. 1. ad 3. & art. 2. & 3. ex comuni. Et patet ex illo Proverb. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ratio est. Quia voluntas quælibet recta, tantò aliquod bonum magis diligit, quantò & ipsum

per se maius est, & diligenti magis coniunctum: Deus autem summum & infinitum bonum est; nec quicquam est magis coniunctum Deo, quam ipse sibi. Et quia quod in vnoquoque genere est primum ac summum, causa est etiam seu ratio ceterorum, necesse est, vt quicquid Deus vult & diligit extra se, velit ac diligit propter se, tanquam finem ac bonum principaliter amatum.

Quo sensu etiam dixit S. Thomas art. 1. ad 3. & art. 2. ad 2. *Dei voluntatem* (obiectiuè) moueri à seipso solo, non ab alio obiecto: vbi supponit, voluntatem solum moueri ab obiecto, quod se habet per modum finis, non medij: cum ergo Deus omnia velit propter suam bonitatem, vt finem ceterorum, ab ea solum voluntatem diuinam moueri asserit; vt bene etiam notauit Vasquez eod. art. 1. & satis seipsum declarat S. Thomas cit. a. 2. ad 2. vbi etiam propterea ait. *Deum sicut alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam, ita etiam alia à se velle volendo bonitatem suam:* videl. non formaliter, sed cõsequenter; quia essentia diuina est ratio intelligendi, & volendi cetera omnia, modo explicato.

**A**ssertio V. Deus tamen etiā vult & diligit quædam alia à se; & quidem res, seu bona creata omnia, quæ aliquando habent existentiam, etiam secundum suum proprium Esse, quod habet, distinctum ab Esse diuino: idque propter se, tanquam illorū finem. Ita S. Thomas cit. a. 2. in corp. & ad 2. & q. 20. a. 2. ex comuni Doctorum in 1. d. 45. & constat ex Scriptura, Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt.* Psal. 113. v. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* 1. Thess. 4. v. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Vnde S. Dionysius c. 4. de diu. nom. *Audebit etiā hoc vera ratio dicere, ipsū quoque rerū omnium auctore pro singulari bonitate sua, amare omnia, omnia facere, omnia perficere, omnia cõseruare, omnia cõuertere.* Et infra. *Audedi est etiā hoc pro veritate dicere, ipsū quoque rerū omnium auctore honesto, bono, omnium amore ductū, pro singulari bonitate amatoris, extra se fieri rerū omnium procuratore, & q. bonitate, charitate, et amore delinire, atque ex statu, quo superat omnia, et ab omnibus secretus est, ad eū, quo in omnibus est, demittitur ea vti, quæ essentia superat, & omnia extra se rapit, nec interim ab eo discedit.*

Ratio est, quia omne bonum est communicatum sui, pro conditione suæ naturæ; vti videre licet etiam in omnibus rebus creatis, quæ cū perfecte sūt, simile sibi generat: ac proinde etiā bonū intellectuuale inclinatur ad suā perfectionē alijs comunicadā, p appetitū volutatis elicitū; quibus pinde vult suū bonū; quod est amare. Quæ tñ comunicatio actualis, nō

est per-

est perfectio quedam formalis (libera ac volūtaria) in ipſo Deo, vt ſignificat Caietanus hic q. 19. art. 2. reſutatus à Gregorio de Valentia hic quæſt. 19. punc. 2. Sequeretur enim, aliquam perfectionem intrinſecam de nouo Deo aduenire; ſed ſignum & effectus perfectionis ac bonitatis eius, vt magis inferius conſtabit, quando de libera voluntate Dei agetur. Et confirmatur aſſertio. Quia amare eſt bonum alicui velle: Deus autem vult rebus omnibus ſuum omne Eſſe, & quicquid in illis bonum eſt: quandoquidem Deus ipſa ſua voluntate, cauſa eſt omnis eiſmodi boni; ſine qua nihil eſſent omnia. Velle autem hæc omnia, conſtat ex aſſert. 4.

Vbi etiam S. Thomas q. 20. a. 2. optimè notat, diſcrimen eſſe inter amorem noſtrum, & amorem diuini. Quia enim, inquit, voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab ea mouetur, ſicut ab obiecto, amor noſter, quo bonum alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed eſt conuerſio bonitatis eius, vel vera, vel aſſumata, prouocat amorem, quo ei volumus, & bonum conſeruari quod habet, & addi quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei eſt inſundens & creans bonitatem in rebus.

6 Aſſertio VI. Deus ſimplici affectu, ſeu amore complacentiæ vult etiam ac diligit entia merè poſſibilia. Ita cum alijs Vaſquez diſp. 79. c. 2. quam ex comuni doctrina Scholaſticorū elicit: eſt contrariū videatur eſſe Suarez l. 3. c. 6. n. 10. vbi quoad hæc entia, conſtituit diſcrimen inter intellectu & voluntatē. Sed cū noſtra etiam voluntas, in re apprehenſa, etiā vt merè poſſibili poſſit complacentiæ actū habere, cur nō & diuina? Accedit quod res merè poſſibiles, ſicut entia ſunt: ita etiam ſunt tranſcendentaliter bonæ, quid ni ergo etiā à diuina voluntate appetibiles? Plura infra dub. 4. vbi de libera & neceſſaria volūtate Deragitur.

Aſſertio VII. De⁹ nō vult, nec velle poteſt malū, qua malū. Ita S. Thomas cit. q. 19. a. 9. ex comuni. Ratio eſt. Quia adequatū obiectū volūtatis formale quod (loquēdo de actu proſecutionis ſeu volitionis, non fugæ) eſt bonū vt bonū, vt dixim⁹ tom. 2. diſp. 2. q. 2. dub. 1. cū S. Thoma cōtra Ockamū, & Nominales.

7 Aſſertio VIII. Deus non vult, nec velle poteſt malū culpæ, ſeu peccatū formaliter acceptū, ſub illa ratione. Ita S. Thomas cit. a. 9. ex comuni Doctorū in 1. d. 45. Patet ex Scriptura, Plal. 5. v. 5. Non Deus volens iniquitatem eius. Sap. 14. v. 9. Similiter odio ſunt Deo, impius, & impietas eius. Abacuc 1. v. 13. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum; & reſpicere ad iniquitatem nō poteris: nimirum ſcientia approbationis, quæ adiuncta habeat volūtatem & approbationem obiecti cogniti. Ratio eſt. Tum quia nullum malū recta ratione appeti poteſt, quod opponitur ſummo bono; cum malum tantū ſit appetibile ratione boni adiuncti: peccatum autem aduerſatur Deo ac ſummo bono. Tum quia alias De⁹ eſſet auctor & cauſa peccati: quod eſt non ſolū contra fidem, vt docetur in 1. 2. ſed etiā contra rationē: quia Deus peccatū omne prohibet; nec eſt vllū peccatum, quod non ſit contra aliquam Dei legem, vt etiam ſuo loco diximus tomo 2. diſp. 4. q. 9. dub. 4.

8 Aſſertio IX. De⁹ tamē vult permiſſionē peccati. Ita S. Thomas eod. a. 9. ad 3. ex comuni, & patet ex Scriptura paſſim; præſertim quādo Deus dicitur indurare, excæcare, dare in reprobū ſenſum; quæ ad permiſſionem pertinent, vt ſuo loco docetur. Ratio eſt. Tum quia ſi non aliquo modo vellet permittere peccata;

non fierēt; Tū quia permittere ex iuſta cauſa malum etiam culpæ, eſt bonum: eſt autem iuſta cauſa eius permiſſionis; tum vt relinquatur ſua libertas creato arbitrio; tum vt ex peccato eliciatur maius bonum, non ſolum iuſtiæ diuinæ erga malos, ſed etiam miſericordiæ ergo eoſdem, dum ad penitentiam reuocantur, &c. De qua replura diſp. 3. q. 1. dub. 2.

Aſſertio X. Malum ſolius pænæ, ſeu naturæ, vult quidem Deus; ac non per ſe, ſed ſolum per accidens, quatenus ei coniungitur aliquod bonum. Ita S. Thomas eod. a. 9. & a. 10. ad 2. ex com. & patet ex Scriptura. Quod enim Deus velit eiſmodi mala, patet ex illo Amos 3. v. 6. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Quod verò malum pænæ per ſe ac primaria intentione non velit, ſed ſolum per accidens, & ratione boni adiuncti, patet ex illo Sap. 1. v. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, &c. Impij autem manibus & verbis accerſerunt illam, &c. Ratio eſt; quia quando cū aliquod malū coniunctum eſt cum aliquo bono magis appetibili, quam ſit bonum, quo priuat malum, tum illud malum rectè appeti poteſt: tale autem eſt malum pænæ & naturæ; cum quo coniungitur bonum iuſtiæ diuinæ, & bonum ordinis naturæ, vt magis patebit cit. diſp. ſeq. de prouidentia Dei. Neque enim de his rebus in præſenti pluribus agendum eſt. Atque hoc eſt, quod de vtroque malorum genere ſapienter notauit S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 10. & 11. Ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo: in qua etiam illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & loco ſuo poſitum, eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis.

## DVBIVM II.

### Quinam actus voluntatis, atq; etiam virtutum Deo conueniant.

S. Thomas 1. p. q. 20. aa. 4. & q. 21. aa. 4.

Supponendum, actus voluntatis quatuor potiſſimū modis variari ac diſtingui poſſe. Primò comuniſſima illa ratione, qua actus cuiuslibet appetitus, alij quidē conſiſtere dicuntur in appetitione ſeu proſecutione; alij in fuga. Secundò, ea ratione, qua paſſiones animi, ſeu appetitus ſenſitiui, propriè ſolent diſtingui: quo modo alij conſtituuntur in appetitu concupiſcibili, vt amor, deſiderium, delectatio; & his oppoſiti, odium, fuga, triſtitia; alij in iraciibili, vt ſpes, deſperatio, audacia, timor, & ira; iuxta S. Thomam 1. 2. q. 23. a. 4. qui actus ſeruata proportione etiam ad voluntatem transferuntur. Terriò diuidi poſſunt penes eam varietatem actuum, qui voluntatis deliberatiuæ proprij ſunt; vt ſunt intentio, electio, vſus, fruitio. Quarto diſtingui poſſunt ſecundum diuiſionem & varietatem virtutum, quæ in voluntate conſtituuntur: de quibus nūc ſigillatim agendum. Omitto actus vitioſos, vt inuidiæ, accidiæ, &c. quos conſtat in Deo non eſſe.

Aſſertio I. Dantur in voluntate diuina actus, non ſolum proſecutionis, ſed etiam fugæ. Ita ſupponit S. Thomas q. 20. art. 2. ad 4. vbi ait, peccatores, qua tales ſunt, à Deo odio haberi. Eadem eſt communis Doctorum ſententia. Probatur apertè ex illo Sap. 14. v. 9.

*Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius.* Ratio est; quia uti sapientis est, bonum amare; ita etiam fugere seu odisse oppositum malum, qua tale est; cum utrumque sit eiusdem rationis: nec est illa voluntas, vel ullus appetitus, qui non etiam suo modo refugiat malum, quo appetit bonum. An autem ipse etiam actus odij sit quædam prosequutio, dixi tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. 1.

2. **Assertio II.** Ex actibus voluntatis, qui passionibus appetitus sensitivi respondent, eandemque cum illis appellationem sortiuntur, sine controversia proprie ac formaliter in Deo est amor, & gaudium; & ex veriori etiam odium. Prima pars est S. Thomæ 1. par. q. 20. art. 1. & seqq. ex communi omnium Doctorum. Et patet ex adductis Scripturis, & Patribus dub. præced. assert. 5. Apertissimum est illud Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt.* Accedit quod 1. Ioan. 4. v. 3. dicitur; *Deus charitas est.* Quia si amor in Deo non esset, nullus planè voluntatis actus in eo esse posset; remoto enim primo, remouentur alia: est autem amor primus motus voluntatis, & cuiuslibet virtutis appetituum; in cuius actibus hic ordo cernitur. Primus enim actus prosecutionis, quia circa bonum versantur, priores sunt natura seu ratione actibus fugæ, qui circa malum versantur. Semper enim quod est per se, prius est eo, quod est per aliud: bonum autem principaliter & per se est obiectum voluntatis & appetitus, malum autem secundariò, & per aliud, in quantum scilicet opponitur bono. Deinde in vnoquoque genere, id quod est commune, naturaliter est prius; sicut & intellectus per prius habet ordinem ad verum commune, quam ad particularia quædam vera: at verò amor respicit bonum sub communi, ori ratione, quæ reliquæ passiones, quæ circa bonum versantur, id quod respiciunt sub particulari aliqua conditione seu ratione. Siquidem gaudium & delectatio est de bono præsentis & habitò; desiderium autem & spes, de bono nõdum adeptò: amor autem abstrahit ab utroque; adeo quod respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum. Est ergo amor naturaliter primus actus voluntatis & appetitus.

Quod ex eo etiam probatur, quod omnes alij motus appetitui præsupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum: neque quis gaudet, nisi de bono amato. Odium etiam non est, nisi de eo, quod aduersatur reiamatæ. Et similiter tristitia, ceterosque eiusmodi motus necesse est in amore referri, velut in primū principium. Ex quibus patet, in quocumque appetitū habente necessariò constituendum amorem. Remoto n. primo, ut dictum, remouentur alia: cum igitur in Deo sit voluntas, ex dub. præced. necessario etiam ipsi amor tribuendus est. Ita ferè S. Thomas cit. art. 1.

3. Qui etiam 2. docet, Deū amare creaturas, ac res omnes, quæ existunt, de quo dub. præc. Item a. 3. Deum non equaliter diligere omnia: sed ex parte obiecti, magis eos, quibus maius vult bonū. Vnde colligit a. 4. Deum semper magis diligere eos, qui sunt, aut futuri sunt ipsa dilectione Dei meliores: adeo quod, ut notat ibidem ad 1. & 2. Christum hominem, ac humanitatem Christi, plus quam omnes Angelos, & totam vniuersitatem creaturarum: quandoquidem amare Dei est velle bonum; & hoc ipso, quod aliquis est melior, adeo quod maiori bonitate præditus, Deus vult illi maius

bonum: cum nisi Deus vellet, maiorem bonitatem nullo modo habere posset. Vbi tamen resp. ad 1. notat, pensandam esse bonitatem eius, qui amatur à Deo, secundū illud tempus quo dādū est ei, ex bonitate diuina aliquid bonū. Quia ratione secundum tempus illud, quo peccatori prædestinato dandum est ex diuina voluntate maius bonum (æternæ beatitudinis) melior est peccator (quam iustus præcitus); licet secundum aliquid aliud tempus sit peior. Disputat etiam ibidem S. Thomas resp. ad 3. & 4. Vtrum Deus plus dilexerit Petrum, an Ioannem; item an magis à Deo diligantur penitentes, an verò innocentes: sed quæ ad hunc locum non pertinent.

4. Secunda pars assertionis de gaudio, siue delectatione est S. Thomæ eadem q. 20. a. 1. ad 1. & communis Doctorum; quam tradit etiam Aristoteles lib. 7. Eth. c. ult. vbi ait: *Deum vna & simplici operatione gaudere.* Et patet ex illo Psal. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tue potabis eos;* & alibi passim. Ratio est. Quia gaudium seu delectatio, ut est actus voluntatis, nullam includit imperfectionem; sed significat quietem in bono iam possessio; Deus autem in seipso velut summo bono ac intinè possessio, penitus conquiescit; nullius prætere rei alterius indigus: Ergo, &c.

Tertiam partem assertionis, de odio, expressè docet S. Thomas cit. q. 20. art. 2. ad 4. quicquid alibi dixerit. Ita enim ait: *Nil prohibet, vnum & idem secundum aliquid amari, & secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum sunt natura quædam amat. Sic enim & sunt, & ab ipso sunt. In quantum verò peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt: & hoc in eis à Deo non est. Vnde secundum hoc ab ipso odio habentur.* Vbi vides, simpliciter asseri ac defendi à S. Thomæ, in Deo odium esse erga peccatores. Id quod ex eiusdem etiam sententia ita docent ac tueruntur. Suarez libro 3. capite 7. & Vasquez disp. 84. cap. 3. contra Ferrarientem 1. cont. gent. capite 96. & Capreolum in 1. d. 45. quæst. 1. art. 1. S. Thomam male expendentem; cum tamen ipse etiam Capreolus tandem ibidem responsio ad argumentum cont. 8. conclus. concedat; odium & displicentiam non repugnare Deo, respectu aliquorum defectuum.

5. Et quamuis S. Thomas in 1. cont. gent. cap. 97. videatur contrarium huic assertioni docere, reuera tamen plus non vult, nec probat, quam hæc tria. 1. Deum non odisse quicquam odio peruerso, quæ malum alicui velit, ut malum, idque nulla ratione, boni honesti, ut solent facere homines, cum se inuicem peruerso odio prosequuntur. 2. nullam naturam per se odisse, quia bona est. 3. nec odisse etiam vllam substantiam intelligentē, aut creatam, etiam si peccator sit, in quantum est. 4. odium (inimicitiam nimirum) proprie solum esse erga personam, non erga malum, quod inimico volumus: cum tamen interim negari non possit, nec ipse S. Thomas ibidem neget, sed potius aperte satis fateatur, odiū abominationis vel maximè esse posse erga peccata, aliosque defectus, &c.

6. Probatur hæc pars aperte ex Scriptura sacra Sap. 14. versu 9. *Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius.* Et Psal. quinto versu sexto. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, &c. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Zachar. 8. v. 17. *Nusquam malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc*

sunt,

sunt, quæ odi, dicit Dominus. Malach. 1. v. 3. & Rom. 9. v. 13. Esau autem odio habui, &c. Ratio est. Quia odium mali, siue de odio inimicitia, siue de odio abominationis sermo sit, nullam includit imperfectionem: & sapientis est, non minus amare bonum honestum, quam odisse malum oppositum; cum vtrumque sit eiusdem rationis. Accedit quod Deus peccatoribus utique vult malum simpliciter: quod nimirum nullo bono maiori ipsis obuenturo compensetur: velle autem ita malum alicui, est odisse.

Assertio III. In Deo item propriè esse videtur, tum desiderium, non quidem respectu boni proprii ac intrinseci, sed extrinseci, maximè nostri: tum fuga mali nostri futuri, aut possibilis. Ita Suarez cit. lib. 3. cap. 7. & Vasquez disp. 84. cap. 1. non contradicente etiam Capreolo loc. cit. Ratio est. Tum quia reuera Deus ardentè vult & cupit nostrum bonum futurum, nimirum vt iuste accipi viamque; & refugit oppositum, sceleratam scilicet vitam, quam in nobis videt futuram, iuxta illud 1. Thess. 4. v. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Tum quia de ratione desiderij & fugæ plus non est, quam velle bonum, absens, & refugere malum futurum possibile, seu sibi, seu alijs: quod sane Deo modo explicato conuenit. Tum quia non est necesse, vt bonum vel malum, quod est obiectum vtriusque actus, sit futurum, respectu ipsius Dei volentis, aut etiam actus ipsius immanentis: sicut etiam ad præscientiam futurorum non requiritur, vt aliquid sit futurum respectu ipsius Dei præscientis; vt præscientiæ interni actus; satis est, quod omnia hæc sint futura respectu alicuius temporis coexistentis Deo, & interno actui ipsius. Accedit quod de ratione desiderij & fugæ non est, vt bonum seu malum, quod respiciunt, re ipsa sit futurum; satis est, quod vtrumque sit possibiliter futurum; adeo vt nihil obstat, quominus etiam in Deo detur inefficax desiderium, aut fuga, boni, vel mali futuri possibilis, vt rectè etiam Vasquez loco cit.

Neque ideo, quod res desiderata sit præsens, cessat ipse actus desiderij in Deo, secundum se, sed solum quoad denominationem extrinsecam, quam à futuritione obiecti sortitur: sicut etiam cum contingens futurum existit, non cessat ipsa per se præscientia diuina, secundum se, sed solum ratione denominationis. Neque S. Thomas q. 20. a. 1. ad 2. negat, in Deo actum desiderij, nisi respectu boni proprii & intrinseci Deo, vt ex ratione, quam subiicit, absentia colligitur, & rectè Vasquez loco cit. Si quis tamè diceret, de ratione desiderij esse, vt tendat in bonum futurum, qua futurum est, etiam respectu ipsius desiderantis, & actus desiderij; is probabiliter negare posset, hunc actum esse in Deo. Eadem est ratio fugæ.

Assertio IV. In Deo non est propriè tristitia; nec spes; nec desperatio; nec audacia; nec ira: adeoque nullus ex actibus respondentibus appetitui irascibili. Ita S. Thomas q. 20. art. 1. ad 2. ex communi. Probatu-  
7  
rati one S. Thomæ loc. cit. de singulis. *Quia in passionibus, inquit, sensitiui appetitus, est considerare aliquid quasi materiale, scilicet corporalem transmutationem: & aliquid quasi formale, quod est ex parte appetitus. Sicut in ira, vt dicitur in 1. de anima text. 15. & 63. materiale est accensio sanguinis circa cor, vel aliquid huiusmodi; formale verò, appetitus vindictæ. sed rursus ex parte eius, quod est formale, in quibusdam horum designa-*

tur aliqua imperfectio. Sicut in desiderio, quod est boni non habitus; & in tristitia, quod est mali habitus. Et eadem est ratio de ira, quæ tristitiam supponit. Quædam vero nullam imperfectionem designant, vt amor, & gaudium. Cum igitur nihil horum Deo conueniat, secundum illud, quod est materiale in eis, vt dictum est, illa quæ imperfectionem important, etiam formaliter Deo conuenire non possunt, nisi metaphorice secundum similitudinem effectus. Quæ autem imperfectionem non important, de Deo propriè dicuntur, vt amor, & gaudium, tamen sine passione, vt dictum est. Ita S. Thomas.

Et confirmatur particulatim de singulis. Etenim fieri non potest, vt sit tristitia in Deo, quia est molesta, & mali intrinsecè affligentis mentem: nec spes, quia est boni ardui; Deo autem nihil arduum est: nec desperatio, quia impotentiam arguit operantis, dum non potest acquirere bonum concupitum: nec audacia, quia non est nisi respectu obiecti ardui ac periculosi; quale in Deo locum non habet: nec timor; quia est de malo futuro difficulter euitabili: nec ira, quia itidem respicit malum arduum, vt repellendum: licet Suarez loco cit. putet, in suo formali conceptu non includere imperfectionem, sicut nec vindictam. Sed contrarium existimo verius cum S. Thoma; quicquid sit de eius ratione.

Assertio V. Actus voluntatis deliberatæ proprii, superius recensiti omnes, nimirum intentio, electio, vltus, fructio, Deo propriè ac formaliter conueniunt. Ita Suarez lib. 3. cap. 7. num. 10. ex communi vsu loquendi Theologorum, qui passim Deo tribuunt electionem, quæ supponit intentionem; secundumque trahit vsu. Idem docet S. Thomas supra dub. 1. citatus, quando asserit, Deum velle bona creata propter se, vt finem. Probatu-  
9  
r, tum ex Scriptura, quæ Deo tribuit consilium, quod est de medijs intentioni finis subordinatis. Vt Prouerb. 8. v. 14. *Meum est consilium.* Prouerb. 13. v. 16. *Omnia agit cum consilio.* Ephes. 1. v. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Eadem scriptura frequentissimè tribuit Deo electionem. Vt Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

Ratio singulorum est. Quia intentio est voluntas efficax finis obtinendi: iam vero etsi interna Dei operatio propriè non sit propter finem, neque adeo respectu ipsius Esse diuini, causalitas finis locum vltum habeat, habet tamen locum respectu actionis Dei transeuntis, iuxta illud Prouerb. 16. v. 14. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Electio nihil aliud est, quam efficax voluntas medijs, & quidem vnus è pluribus: quod itidem nihil habet imperfectionis. Potest enim, vt inquit Paulus, ex hominibus aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam suo arbitratu; vnde alios eligit, alios reprobat. Et in operibus etiam naturæ; ex infinito rerum numero & ordine possibili, hunc solum, quem videmus, delegit, &c. Plura de his disp. seq. quæst. 5. dub. 2.

Vltus, est voluntas exequendi media electa; quam hoc ipso vtique Deo denegare non possumus, quod in tempore omnia exequitur re ipsa, prout ab æterno decreuit. *Quæcumque enim voluit fecit, in celo & in terra.* Psal. 134. v. 6.

Fructio denique nihil est aliud, quam quies & delectatio in possessio bono, seu fine, qui est Deus ipse,

qui se ipso perfectissime fruatur, non quidem tanquam sine suis ipsius, sed tanquam sine creaturarum, quas voluit esse propter se, tanquam finem.

Iam vero quod ad eam varietatem actuum voluntatis attinet, quæ ex virtutum partitione desumitur, agit quidem S. Thomas solum de virtutibus Cardinalibus, quæ in appetitu existunt: supponens, proprie in Deo esse prudentiam, ex quæst. 14. & infra quæst. 22. sed ut doctrina sit planior, dicemus etiam aliquid de virtutibus Theologicis.

Assertio VI. Vti fides proprie non est in Deo, ita nec actus voluntatis, quem fides supponit: sed nec actus spei in Deo est, quia talis est tamen in eo tum amor amicitiae erga seipsum ac rationales creaturas, adeoque charitas; tum amor concupiscentiæ erga res omnes; in nobis alioqui ad eundem spei habitum pertinens. Priorem partem supponit S. Thomas, tum hoc loco quæst. 21. ubi de virtutibus, quæ in Deo sunt, agens, nec mentionem quidem fidei aut spei facit; tum in 2. 2. & 3. par. ubi omnibus beatis, ipsi quæ etiam Christo fidem ac spem denegat. Ratio est. Quia fides est obscura cognitio, & argumentum rerum non apparentium, ve loquitur Apostolus Heb. 11. Itaque nec credere, nec velle credere, esse potest in Deo, aut beatis. Spes autem est boni ardui, ex dictis superius.

Posteriorem partem de amore concupiscentiæ, & amicitiae, adeoque de charitate, expressè docet S. Thomas quæst. 10. art. 2. ad 3. & de amicitia fufius docetur in 2. 2. de charitate. Ratio breviter est; quia ad amorem amicitiae pertinet, velle bonum alicui propter se, & ut ipsi bene sit; quo quidem modo Deus sibi, & alijs, præsertim iustis, vult bonum. Amor vero concupiscentiæ est erga illud bonum, quod volumus nobis, & amicis nostris: quomodo Deus vult omne bonum sibi, & electis.

Et rectè notat S. Thomas ibidem ad 3. erga creaturas irracionales non posse haberi amorem amicitiae, sed solum concupiscentiæ: Amicitia, inquit, non potest haberi, nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem, & communicationem in operibus vite; & quibus contingit bene euenire vel male, secundum fortunam & felicitatem: sicut & ad eas proprie benevolentia est. Creatura autem irracionales, non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis & beatæ vite, qua Deus vivit. Sic igitur Deus, proprie loquendo, non amat creaturas irracionales amore amicitiae, sed amore concupiscentiæ, in quantum ordinat eas ad rationales creaturas; & etiam ad seipsum, non quasi eis indigeat, sed propter suam bonitatem, & nostram utilitatem. Concupiscentis enim aliquid & nobis, & alijs. Ita S. Thomas, Unde colligitur, amorem concupiscentiæ esse etiam erga creaturas racionales, atque etiam erga iustos, quatenus Deus eos vult sibi, ac in suum commodum, seu gloriam, &c. Quod verò honestus hic amor concupiscentiæ in nobis ad habitum spei pertineat, suo loco de spe docetur.

Assertio VII. Ex virtutibus Cardinalibus, in Deo proprie ac formaliter non sunt illæ, quæ circa passiones immediatè versantur; ut Temperantia & fortitudo; item mansuetudo, atque aliæ ijs adiunctæ: aliæ verò, quæ in voluntate insunt, & circa operationes versantur, ut sunt Iustitia, liberalitas,

& magnificentia; aliæque his similes, proprie sunt in Deo. Ita S. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. in corp. & ad 1. ex comm. & intelligitur posterior pars non de omnibus virtutibus, quæ Iustitiæ annectuntur, sed quæ cum nullam specialem rationem imperfectionis formaliter contineant, quoad hoc similes sunt Iustitiæ; ut mox speciatim de misericordia dicitur. Interim Religionè, obedientiâ & si quæ sunt aliæ similes, quæ formaliter superiorè respiciunt; ut & studiofitatem, quæ studiosâ voluntatè discendi & cognoscendi significat, &c. aliæque his similes in Deo non esse, per se satis constat. Ratio assertiois est. Quia virtutes prioris generis, cum ex proprio & formali suo genere, circa passiones moderandas versentur, in Deo locum habere non possunt; quandoquidem Deus est expers passionum.

Iustitia autem, & aliæ similes, quæ circa operationes versantur, cum nec ex obiecto suo, nec aliunde vsipiam imperfectionem aliquam in sua formali ratione inuoluant, rectè ac proprie Deo tribuuntur; vti etiam scriptura ipsa frequentissime Deo Iustitiam, liberalitatem, & magnificentiam tribuit. ut psal. 10. v. 7. *Iustus Dominus & iustitiam dilexit.* psal. 144. v. 17. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis; & sanctus in omnibus operibus suis.* Ibidem v. 15. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione: ubi liberalitas Dei commendatur.* psal. 8. v. 2. *Elevata est magnificentia tua super caelos.* Exod. 15. v. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

Et confirmatur ex S. Dionysio cap. 8. de divinis nominibus ubi ait: *Itaque hoc verè dici potest, potius esse divinæ Iustitiæ proprium, non demulcere & dissolvere vilem optum cuiusque animum, terrenorum bonorum largitionibus; nec si quis hoc facere conetur, auxilio, praesidioque desertos esse sinere; sed confirmare eos (adversitatibus) in præclaro, immutabilique statu, eisque qui eiusmodi sunt tribuere pro dignitate. Hec etiam divina Iustitia, ut omnium salus laudatur, quod suam cuiusque, & ab alijs solutam ac liberam essentiam atque ordinem conferret atque crearet, causaque sit sua cuiusque refectionis. Et ibidem cap. 9. Quod si quis divinum eiusdem, aut Iustitiæ nomen, quo scripta divina utuntur, pro equali accipiat, dicendum est, aquum esse Deum, non solum quod partibus non constet, nec vsquam desinat; verum etiam quod ad omnia, & per omnia æquè perveniat; & quod ipsius equalitatis sit author, qua efficit, & omnium aliorum per alia, similem progressionem, & eorū, qua participant, æqualem communionem, pro captu cuiusque, & parem largitionem, qua cuique fit pro dignitate; quodque omnem æqualitatem, eam qua animo cernitur, eam qua mentis est, qua rationis, qua sensus, qua essentia, qua nature, qua denique voluntatis, præcipue & conjunctè in se anticipatam habet; vti potentia omnis æqualitatis effectrice, qua omnibus necesse est. Quibus verbi causa potissimum divina Iustitiæ functio describitur, qua Deus omnibus rebus, iuxta exigentiam & conditionem suæ naturæ, servata debita proportione, prouidet, ac sua bona distribuit.*

Qua de causa etiam S. Thomas cit. quæst. 21. art. 1. corp. Iustitiam solum distributivam Deo attribuit: commutativam autem, quæ consistit, inquit, in em-

prione & venditione, & alijs huiusmodi communicationibus vel commutationibus, Deo negat; cum absolute ait: *hæc non competit Deo, quia videlicet Apostolus, Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuatur ei?* In quæ sensum S. Thomas etiam alijs quibusdã locis loquitur; & sequuntur Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 93. Caietanus hic q. 21. a. 1. & in 2. q. 61. art. 4. Sotus lib. 3. de Iustit. q. 5. a. 4. Bañes hic q. 21. art. 1. vbi suam sententiam mutat, alijsque recentiores Thomistæ communiter.

Alij vero, in quibus Durandus in 4. d. 4. 6. q. 1. Vasquez hic disp. 86. & ferè Molina, & Zumel hic q. 21. a. 1. vtramq; in Deo propriè ac formaliter esse negat. Alij in quibus Capreolus in 2. d. 27. ad 1. Gregorius de Valentia hic q. 21. pun. 1. Albertinus tom. 1. princip. 1. corall. 18. à n. 36. Suarez 3. p. disp. 4. sect. 5. edit. antiq. & opusc. de Iustitia Dei sect. 2. n. 2. & 27. & sect. 3. n. 33. (vbi quod inedit. noua. 3. partis aliter ex parte vñus est docuisse, explicat) commutativam Iustitiam propriè Deo tribuunt: quam certè vniuersim & absolute Deo denegare, non est consentaneu doctrinæ S. Thomæ in alijs locis, vt in 2. 2. q. 61. a. 4. & q. 108. a. 2. & in 3. part. q. 85. a. 3. ad 3. Quem secum ipso ita conciliat Capreolus loc. cit. vt cum negat S. Thomas, merita nostra per Iustitiam commutativam à Deo compenari, asserat id intelligendum de actibus meritorijs, vt præcisè emanant ab arbitrio creato; non vero prout simul oriuntur à gratia; adde & promissione diuina nituntur, vt rectè Gregorius de Valentia hic q. 21. p. 1.

16 Aut planius dici potest, S. Thomæ, cum hic docet, in Deo propriè non esse Iustitiã commutativam, locutu esse de contracta & materiali ratione eius Iustitiæ, prout inter homines est; & necessariò aliquã rerum ac dominij, seu Iuris alienationem inuoluit. hoc enim vt sumum, & non plus probat eius argumentum: distributiua verò propterea esse, quia distributionis actus, seruata debita dignitatis proportionem, saltem comuni quadã ratione propriè in Deo locum habet: cum tamen strictè & adæquatè ac formaliter spectata, secundu propriã debiti rationem, in Deo non sit, vt ex Durando notauit Molina loco cit. Sed de hæc re ex instituto agendū est in 1. 2. de meritis, & in 2. de Iustitia, & in 3. part. de Incarnatione; vbi satis prolixè de hac re agimus tom. 4. disp. 1. quæst. 2. dub. 6.

17 Assertio VIII. In Deo propriè etiã est Misericordia. Ita S. Thomæ hic q. 21. a. 3. vbi ait: *Misericordia Deo maxime est attribuenda; tamè secundu effectū, non secundum passionis affectū.* Quod ita intelligendū est, vt in Deo sit misericordia (quatenus est actus voluntatis) secundu proprium suu actum & munus, non tamè secundu passionis affectū, qui in nobis per accidens solet esse adiunctus, & materialiter solum, ac ratione certi subiecti, non per se ac formaliter ad misericordiam pertinet; vt pote quæ ex sua formali ratione, nihil aliud est, quam affectus, seu voluntas subleuandi misericordiam alterius. Quæ etiam causa est, cur omnes Theologi propriè Deo misericordiam tribuant, vt rectè Vasquez hic q. 21. a. 3. & Suarez hic lib. 3. c. 7. num. 15. Plura de hac varietate actuum diuinæ voluntatis, ex virtutum varietate desumpta, Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 16. à num. 37.

Assertio IX. Nulla virtus est in Deo sub ratione

habitus; sed actus tantu: esto alioquin detur in Deo potentia actiua voluntatis, & intellectus ab actibus ratione distincta, de quo quæst. seq. Ita Capreolus in 1. d. 45. q. 1. & videtur comunis. Ratio est. Quia habitus significat aliquã perfectionem potentijs naturalibus superadditam, respectu eoru actuum, ad quos ipsa naturalis potentia per se non est satis expedita ac prompta: in Deo autè ipsamet voluntas & intellectus, seu natura ipsa diuina, ad omnes actiones sibi conuenientes, est connaturaliter promptissima & expeditissima. Qua de causa etiam superius de scientia Dei diximus dub. 1. non esse in Deo scientiam, sub ratione habitus.

### D V B I V M III.

*Quotuplex sit diuina voluntas, ac speciatim de voluntate signi & beneplaciti; antecedente & consequente; efficace & inefficace: & an voluntas Dei semper impleatur.*

S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. 11. & 12.

TRES sunt potissimū diuisiones generales ac celebres diuinæ voluntatis. Prima est, qua voluntas diuina alia dicitur beneplaciti, alia signi. Ita S. Thomas 1. p. q. 19. a. 11. ex comuni, ac recepta Doctoru sententia. Circa quam partitionem tria notanda sunt.

Primum est, voluntatè signi, iuxta S. Thomæ ibidè, & comunem Doctorum doctrinam, quatenus voluntas signi est, propriè non esse voluntatè, seu volutionem aliquam Dei; sed impropriè tantu, & per metonymiam sic dictam, quod ex suo genere, ac in nobis (sed & plerumq; etiam in Deo, non tamè semper, vt notauit S. Thomas q. 19. a. 12. ad 2. & inferius contra Durandum dicitur) soleat esse signu talis euuspium voluntatis erga rem, quæ dicitur volita voluntate signi: sicut diuina punicio, seu voluntas puniendi in Deo, vocatur impropriè ira; quia illa in nobis solet esse signu iræ. Voluntas autè beneplaciti, iuxta eundè & comunem, est voluntas propriè dicta, per quam videlicet res ipsa sic volita verè in se ipsa placet Deo: de qua voluntate, eiusq; actibus actum est dub. 1. & 2. Deus enim hac ipsa voluntate beneplaciti vult omnia, quæ facit. Vnde patet etiam, hanc diuisionem solum esse analogi in analogata, vt rectè Caietanus hic q. 19. a. 11. & Gregorius de Valentia q. 19. pun. 2. & alij.

Secundò notandum est, voluntatem signi à S. Thomæ cit. q. 19. a. 12. alijsque Theologis in 1. d. 45. rursum quintuplicem constitui; à totidem scilicet signis diuinæ voluntatis desumptam; qualia sunt, præceptum, prohibitio, permissio, consiliu, operatio: quæ apud Durandum in 1. d. 45. & Gabrielem d. 46. & Caietanum hic cit. a. 12. isto versiculo comprehenduntur.

*Præcipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.*

Vbi prohibitio dicitur voluntas signi respectu rei prohibite, non secundum se; sed cum addito, ne fiat. Permissio quoq; non est signum diuinæ voluntatis erga peccatū ipsū, vt malè loquitur Durandus in 1. d. 45. q. 3. n. 7. reprehensus idcirco à Gregorio de Valentia hic q. 19. pun. 2. sed solū erga non impeditiōnem

peccati.

peccati. Cætera qua ratione sint signa diuinæ voluntatis erga obiecta præcepta, consulta, impleta, seu facta à Deo, per se patet. Et adijci his potuisset diuina *comminatio*, præcepto addita: sed quæ licet sub nullo signo voluntatis diuinæ aperte comprehendatur; reuocatur tamen ad præceptum & prohibitionem, tanquam quiddam accessorium, & vis quædam eorum ac neruus. Accedit, quod ista per se ferè non possit esse signum diuinæ voluntatis, nisi aliunde, ex præcepto scilicet, aut prohibitione, consistet, quid Deus velit fieri, aut non fieri.

Notandum tertio ex S. Thoma cit. art. 12. ad 1. & 2. posse quidem aliquando de iisdem rebus in Deo esse voluntatē, tum beneplaciti, tum etiā signi; idq; non vnā tantum, sed etiā multiplicē, puta simul consilij & præcepti, & operationis, &c. attamē formaliter has voluntates semper inter se distingui. Nam operatio, V. G. consilium, præceptum, de re aliqua, semper in Deo supponunt etiā voluntatem beneplaciti (saltem cuiusdam affectus simplicis complacentiæ) erga eam, quam operatur, consulit, ac præcipit; tamen nec operatio vt sic, nec consilium, neque præceptum propriè sunt diuina voluntas, seu actus elicit diuinæ voluntatis; sed tantum signa voluntatis. Præterquam quòd Deus præcepto quandoque significat aliquid se velle, vt absolute faciendum, cum tamen id non velit absolute fieri, vt patet in præcepto dato Abrahamæ de immolando Isaac. Quomodo etiā Deus sæpe apud prophetas comminando significat, se absolute puniendum peccatores hos, vel illos; cum tamen comminationes sint hypotheticæ, vt recte Vasquez disp. 83. c. 1.

Secunda diuisio voluntatis diuinæ, admodum celebris etiā & vulgata, est illa, qua diuiditur in voluntatem antecedentem, & consequentem, iuxta S. Thomam q. 19. a. 6. ad 1. & communem, quæ sumitur ex S. Chrysostomo homil. 1. epist. ad Ephes. vbi sub nomine *primaria & secundaria voluntatis*, hanc diuisiōnem tradit. Eandem habet S. Damascenus lib. 1. de fid. cap. 29. & lib. cont. Manich. finali, qui vtriusque nominibus vtitur. Ex quibus etiā receptū hoc ab omnibus exemplū assignatur, quod nimirū antecedente voluntate De⁹ velit, omnes homines saluos fieri, iuxta 1. Tim. 2. consequenti autē voluntate velit, aliquos ob peccata damnari, ex Matth. 25.

Sed quidnam his nominibus significetur, quòdque a deo sit diuisum proximum in hac diuisiōne, controuertitur; & à varijs variè explicatur. Prima sententia est, voluntatem antecedentem eandem esse cum inefficace quadam voluntate signi, voluntatem autem consequentem eandem esse cum voluntate beneplaciti. Ita docent Bannes hic quæst. 19. art. 6. Zumelart. 6. disp. 1. eandemque omnium commodissimam esse (abstrahendo tamen à fundamento, quo nititur) censet Gregorius de Valentia, quæst. 19. pun. 2. vbi etiā pro eadem refert Bonauenturam in 1. d. 47. item Scotum, Ockamum, Gabrielem, Heruzum d. 46. quibus Vasquez disp. 83. cap. 1. addit Alensem in 1. p. q. 36. m. 2. Maiorem in 1. dist. 26. Marsilium q. 45. Driedonem de concord. lib. arbit. & prædest. 1. par. c. 4. & Cæteranum in illud Pauli 1. Tim. 2. *Deus vult omnes saluos fieri.*

Fundamentum huius sententiæ potissimum est; quia putant, Deum sola voluntate signi (exhibendo

videlicet omnibus, quantum in se est, sufficientia consequendæ salutis media; quæ voluntas signi operatio dicitur) velle omnes homines saluari; non autem voluntate beneplaciti; vtpote quam existimant semper efficacem esse, ac re ipsa impleri. Fauet S. Augustinus in pluribus locis, quem citat, & sequitur Ariminensis in 1. d. 46. quæst. 1. & ex parte S. Thomas hic quæst. 19. cit. art. 6. ad 1.

Sed in primis hæc expositio ad mentem Chrysostomi, & Damasceni, à quibus initio hanc diuisiōnem acceptam diximus, non est accommodata. Aperte siquidem Damascenus cit. lib. 1. de fid. ait, Deum neutra voluntate velle peccatum; cum tamen peccatum cadat in voluntatem signi *permissiōis*: vterque etiā vocat voluntatē antecedentem *primariam & propensissimam* quandam Dei voluntatem, vtendo etiā nomine græco *ιδουια*; quòd propriissimè voluntatem beneplaciti significat.

Deinde etiā fundamentum illud, quo authores illi nituntur, falsum est. Potius enim veluti certum supponendum est, Deum voluntate etiā beneplaciti omnibus velle salutem & gloriam; vt satis constat ex cit. scripture loco; qui cum nil obstat, propriè intelligendus est; adeoque etiā de voluntate beneplaciti, quæ sola propriè voluntas est, vt dictum. Idem ex Chrysostomo homil. 1. ad Ephes. Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. & 25. (licet hic aliter respons. 8. ad capita Gallorum) & Damasceno lib. 1. de fid. cap. 29. alijsque Patribus, ipsaque ratione post Sotum in cap. 9. epist. ad Rom. Catharinum de prædest. fusè probant Molina hic q. 19. art. 6. disp. 1. Suarez de prædestinat. lib. 4. cap. 2. Vasquez cit. disp. 83. cap. 2. & supponunt Gregorius de Valentia hic q. 19. pun. 2. & Suarez lib. 3. cap. 8. num. 5. idemque plane sentit S. Thomas hic cit. q. 19. art. 6. ad 1. item Durandus dist. 47. Chartusianus dist. 46. & alij, idemque probabile fateantur. Bannes art. 6. & Zumel ibid. disp. 2.

Qualis autem sit hic actus voluntatis, quo Deus vult omnes saluos fieri, non satis etiā consentiunt inter se Doctores. Gregorius de Valentia, & Molina, cum S. Thoma, Soto, & Catharino dicunt, esse actum conditionatum ex parte obiecti; quo videlicet Deus omnes homines velit saluos fieri, si modo ipsi velint debita salutis media adhibere; aut eis certè ab alijs adhibeantur. Quod etiā significant Chrysostomus, Ambrosius, Prosper, Theophylactus, Oecumenius apud citatos. Vasquez autē loco cit. c. 4. docet esse actum etiā, ex parte obiecti, absolute, complacentiæ tamen cuiusdam simplicis, non efficacis voluntatis; qui virtualiter contineat alium actum efficacem, qui esset, si conditio ex parte obiecti requisita poneretur. Mihi vtrumq; verum videtur; nihil enim obstat, duos hosce actus ratione nostra distinctos dari in Deo, vt tandem fateatur Suarez cit. lib. 4. cap. 2. n. 10. Alius est enim actus simplicis complacentiæ de re quapiam; alius actus per modum inflectionis, & quasi intentionis conditionatæ: nec vnus repugnat alteri, vt etiā Ariminensis, & alij Theologi supponunt apud Suarez num. 9.

Qui addit, n. 7. & 8. hunc actū esse liberū; illum vero actū simplicis complacentiæ non posse nisi necessariū dici. Sed & hoc declaratione indiget. Nam complacentia quidem de beatitudine omnium, vt

præcisè secundū retotam quandā potentiam possibilibus est, actus est sanè necessarius; nec ad extra quidquā ponit aut cohoratatur vero complacencia simplex de eadē beatitudine, vt ppinq; secundū præsentem Dei ordinationem omnibus possibilis est, seu tanquam finis vltimus ppositus, non est act⁹ necessari⁹, vt patet: & de hoc præcipuè in præsentii sermo est.

Ex quib⁹ etiā colligitur, quid de varijs expositionibus Augustini circa eum locū sentiendum: Prima est, intelligendū secundū distributionē accommodatam, eo quod null⁹ saluetur, nisi quē Deus velit saluari. Ita explicat lib. 4. contra Iulian. c. 8. & lib. de corrupt. & grat. c. 14. & lib. de prædest. sanct. c. 8. & in Enchirid. ad Laurēt. c. 102. & epist. 107. ad Vitalē. Secūda est, voculā omnes accipiendā esse de generibus singulorū, non de singulis generi, vt tradit Enchirid. cit. c. 103. & post eum Fulgentii lib. de Incarnat. c. 3. Beda, & Anselmus in eum locū. Tertia est, vult, eo loco, idē significare, quod Facit nos velle. sicut, spiritus postulat pro nobis, id est, postulare facit. Ita docet lib. de corrupt. & grat. c. 15. Quarta est, intelligi de inefficaci voluntate quadā signi, vt radit de corrupt. & grat. c. 15. & ad artic. falso imposit. a. 2. & sequuntur Damascenus, Prosper, & c. itē S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. ad 3. & q. 19. a. 6. vbi etiā admittit primam & secundā expositionē Augustini. Sed quamuis omnes istæ explicationes verū sensum habeant, & verò etiā vltima ad mentem sit Apostoli, ea tamen non est adæquata expositio eius loci, vt dictum.

Secūdo igitur quidā recētiore apud Vasquez loc. cit. num. 14. dicunt, voluntatem antecedentem idem esse, quod voluntatem inefficacem; consequentem autem eandem cum absoluta & efficaci. A qua non videtur multum in re ipsa dissentire S. Thomas hic q. 19. a. 6. prout quidē comuniter solet intelligi, vt dicemus; sed potius in modo loquendi.

Est ergo tertia explicatio S. Thomæ hic q. 19. a. 6. ad 1. vbi cum fundamenti loco posuisset, multa secundū se nudè spectata (quæ consideratio rei antecedente ratione sequentē) bona esse; quæ per accidens, & in particulari hic & nunc considerata (quæ consideratio priorē sequitur) adeoq; omnib⁹ spectatis, bona non sunt, aut minus bona sunt, vt retinere merces secundum se bonum est; at vero in naufragij periculo retinere, non itē: homines itē viuere, secundum se bonum est; at eos, cum malefici sunt, viuere, bonum non est & c. hoc, in quā posito, ait; voluntatē antecedentē esse, de re inadæquatē & secundum se nudè spectata; quæ proinde sit tantum sit voluntas inefficaci rei, & secundum quid: consequentē vero de re, secundum omnes suas circumstantias considerata; quæ proinde sit absolutē & simpliciter talis, ac in Deo semper efficax. Atq; ita rectē etiam intellexerunt hæcenus S. Thomā, præter Thomistas cæteros, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez. Iuxta quam doctrinam de eadē re in Deo esse potest voluntas antecedens & consequens, vt de salute prædestinatorum; quamuis & in his nihilomin⁹ ratione vtraq; voluntas distinguatur: de alijs solum est antecedens, vt de salute reprobatorum: de quibusdam solum consequens, vt de damnatione eorundē. Et quia hæc interpretatio & in re verā doctrinā habet, & tanti authoris est, & communiter à Thomistis, alijsque recentioribus recepta, speciatim à Banne q. 19. art. 6.

Molina, Suarez & ferè etiā à Gregorio de Valentia, non est reijcienda. In modo verò loquendi, præsertim extra scholam, sic imitanda, vt cum opus videbitur, addita declaratione, caueatur æquiocatio. An vero sit ex mente SS. Chrysoſtomi, & Damasceni, quos auctores esse diximus huius distinctionis, mox dicetur.

Variè siquidē etiā istorum mens explicatur à Doctoribus, vt videre est apud Gregorium de Valentia, Suarez, Molinā, & Vasquez locis cit. quorum hi duo posteriores putant, S. Thomæ explicationē (quam tamè aliter Vasquez explicat) eandē esse cum S. Damasceni; illi verò secus. Optimè autem Chrysoſtomi & Damasceni mentē exposuisse mihi videtur Suarez cit. c. 8. n. 6. in hunc sensum, Nimirum Deum antecedente voluntate velle, quicquid ex propensione, quasi sua ppria, & primaria (cuius natura bonitas est, & opus proprium misericordia) vult, siue efficaciter, siue inefficaciter; & rursum siue requisita ex parte nostra aliqua conditione, siue nulla. Et sic, inquit, Damascenus, Deum velle non tantum omnes homines saluos fieri, sed etiā cætera bona, quæ nostro arbitrio à nobis re ipsa fiunt, hoc ipso proinde à Deo efficaciter volita. *Voluntas autē consequens*, inquit, Damascenus, à nostro visio ortū ducit; qua videlicet Deus vult ea, quæ à natura illa ac primaria suæ benignitatis inclinatione, quodammodo sunt aliena; vt est, punire peccatores ob malefacta. Atq; ita, inquit idē Damascenus loc. cit. *primaria Dei voluntas* (quā alias antecedentē dixerat) *bonitatis est; secundaria iustitiæ ipsius*. Eodē profus modo loquitur Chrysoſtomus. Et hæc expositio, vt in re verissimā, solatiq; plenā habet doctrinā, & à suismet auctoribus grauissimum authoritatis pondus; ita scholasticorum præsertim antiquorum, loquendi vsu parum recepta; ac proinde in modo loquendi, ad cauendā æquiocatiōem non facile in scholis, sine expositione, vsurpanda.

Ex quibus etiā liquet, exempla, quæ multi voluntatis antecedentis vocant, vt quod naufragus velit seruare merces; quod Iudex velit omnes viuere, iuxta expositionē istorū sanctorū, qui in hac appellatione ad diuinā solū voluntatē respexerunt, non esse ppriè exempla voluntatis antecedentis; nisi quadam accommodatiōe, & secundū pportionem. Secus est, si loquamur de expositione S. Thomæ. Iuxta vtramq; vero hanc expositionē, adeoq; simpliciter & absolutandum est, immediatū diuisū, in hac diuisione, esse ipsā voluntatē beneplaciti, vt rectē Gregorius de Valentia, Suarez, Vasquez, & alij locis cit.

Tertia nobilis etiam diuisio diuinæ voluntatis est illa, quam tradit S. Thomas cit. q. 19. art. 6. qua quedam dicitur efficax; quedam inefficax. Quæ itidem est diuisio voluntatis beneplaciti, vt rectē Gregorius de Valentia & Suarez loco citato num. 9. cum alijs; etsi suo modo etiam voluntati signi possit accommodari, vt patet. Ea verò generatim ex scriptura probatur. Nam ad voluntatem inefficacem pertinet illud 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*; & 1. Theſsal. 4. *Voluntas Dei sanctificatio vestra*: et si non desint, qui negent, vllam voluntatem beneplaciti esse inefficacem, vt antea circa præcedentem diuisionem dictum. Ad voluntatem efficacem pertinet illud Psal. 103. v. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit*. & Rom. 9. v. 19. *Voluntati eius quis resistit?*

Volun

Voluntatem autem efficacem Dei vocamus, vt ex dictis colligitur, non omnem voluntatem beneplaciti; nec omnem ex parte obiecti absolutam; potest enim & hæc esse simplicis complacentiæ, adeoque inefficax; vt antea dictum, & rectè Vasquez cit. c. 4. etiam multaliter loquantur, vt inferius dicitur: sed qua Deus absolute & simpliciter, omnibus spectatis, aliquid vult esse aut fieri, vt rectè Suarez hic lib. 3. cap. 8. & lib. 4. de prædest. cap. 7. & colligitur ex S. Thoma cit. art. 6. ad 1.

12 Quo modo, licet iuxta mentem & interpretationem S. Thomæ, omnis voluntas antecedens, saltem qua talis, sit inefficax; omnis consequens efficax, ex communi interpretatione Doctorum; licet Vasquez S. Thomam ita interpretetur, vt homine antecedentis voluntatis comprehendatur etiam voluntas efficax: tamen iuxta Chrysolomi & Damasceni mentem superius explicatam, vt voluntas quædam antecedens est efficax; vt rectè Vasquez c. 3. & Suarez hic lib. 3. cap. 8. num. 8. & 9. in quem sensum idem etiam opuscul. 1. lib. 2. de auxili. cap. 7. nu. 19. ait, voluntatem antecedentem, *tamen si sæpè non impletur, tamen non raro etiam impletur*: ita quædam consequens, videtur posse esse inefficax; vt voluntas simplex, qua Deus vult omnes peccatores pro meritis punire, iuxta illud Exod. 32. v. 10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c.* Quod tamè Moysis intercessione fuit quasi impeditum, certe in opus non redactum: etsi post alios contrarium supponat Suarez hic lib. 3. c. 8. n. 8. & 9. ratus; iuxta dicta eorundè Patrum interpretationem, omnè voluntatè consequentem esse efficacem.

13 Ex quibus etiam colligitur, qua ratione intelligendi sint authores illi qui docent, & veluti certum tradunt, omnè voluntatem Dei absolutam efficacè esse, vt indicat S. Thomas hic q. 19. a. 6. ad 1. & sequuntur Gregorius de Valentia cit. p. 3. & Suarez cit. lib. 3. c. 8. & l. 4. de prædest. c. 2. & alij. Imo Zumel hic a. 6. disp. 1. dicit, esse *conclusionè fidei, voluntatem absolutam Dei semper impleri*. Quæ tamen cum ijs, quæ diximus, facile possunt conciliari. Nam absoluta voluntas, dupliciter dici potest; primò qua quis aliquid vult, quocumq; demùm modo, nulla conditione ex parte obiecti addita: & hoc modo fatendum est, quod ex Vasquio diximus, dari in Deo absolutum voluntatis actum, per modum simplicis complacentiæ inefficacem. Secundò absoluta voluntas dici potest per modum absolute intentionis, seu electionis eius rei, quam quis simpliciter omnibusq; spectatis velit esse, aut fieri: & hoc sensu loquuntur S. Thomas, & alij citati. Ad vitandam autem æquiocationem vtrobiq; rectè addetur explicatio.

14 Colligitur secundò, an & qua ratione diuina voluntas semper impleatur, de quo ex instituto agit S. Thomas cit. q. 19. a. 6. Breuiter ex dictis hæc colliguntur. I. Voluntatè signi, quæ dicitur operatio, semper impleri, alias vero aliorum signorum voluntates non itè. Quod enim operatur Deus, fit vtiq; quod autè præcipit, prohibet, permittit, consultat, non fit semper.

II. Voluntatè beneplaciti non omnè semper impleri; sed eam solum, qua Deus absolute ac simpliciter, atque adeo omnibus spectatis, vult aliquid esse, aut fieri; vt paulo antea diximus.

III. Nihil vnquam fieri boni, seu quod sit verum ali-

quod Ens positiuum reale, nisi Deo volente, etiã voluntate beneplaciti; vt pote qua voluntate Deus vult omne bonum ex dictis. Id quod etiã de actibus malis intelligendum, qua entia adeoque bona sunt.

IV. Nec malum, seu peccatū fieri contra omnem Dei voluntatè; peccatū enim licet fiat contra voluntatem beneplaciti; atq; etiã contra voluntatè signi, quæ dicitur præceptū vel prohibitio; non tamen fit contra voluntatè signi, quæ dicitur permissio. Malū vero pœnæ; licet fiat contra voluntatè Dei antecedentem, non tamen contra voluntatem Dei consequentè. Quo modo etiam S. Augustinus ait in Enchirid. c. 95. *Nihil fit, quod Omnipotens non velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo*.

V. Nec peccatorè igitur, dum peccat, subtrahere se vndiq; posse à voluntate Dei; non solū quia ipsum peccatū permittitur à Deo, voluntate signi; sed etiã quia peccator refugiens voluntatè Dei antecedentem benignam, incidit in voluntatem eius consequentem iustam & punitiuam.

VI. Semper igitur, & in omnibus rebus ac operibus, aliquo modo Dei voluntatè impleri; nec quicquid fieri, quod omni ex parte, omniq; voluntati diuinæ repugnet: quod ex eo etiã rectè probat S. Thomas cit. a. 6. Quia voluntas diuina est causa vniuersalis; cuius ordinè & actiuitatè nullus potest effectus causæ secundæ vndiquaq; effugere; quanquã cum id solū propriè velle dicatur Deus, quod vult voluntate beneplaciti, rectè simpliciter dici potest, diuinam voluntatem non semper à creaturis impleri: nam & propterea oramus, vt fiat voluntas Dei; nimis ea, quæ propriè talis est, ac beneplaciti dicitur. E contrario vero, si quid fit contra voluntatè diuinam beneplaciti solū inefficacem, seu iuxta phrasin S. Thomæ, contra antecedentè; cum tamè interim sit secundum voluntatè diuinam beneplaciti consequentè, vt est punitio peccati, non autè ipsum peccatū, ex dictis; non simpliciter & absolute dicendum est esse contra voluntatè diuinam; cum id simpliciter velit Deus, quod vult omnibus spectatis; adeoq; voluntate consequenti, iuxta modum loquendi S. Thomæ cit. art. 6. ad 1. Quæ omnia ex dictis liquent. Posset hic quidè agi de alia diuisione diuinæ voluntatis in liberam & necessariam, sed quam dub. seq. inter attributa diuinæ voluntatis commodius persequemur.

#### DVBIVM IV.

*Qualis sit diuina voluntas; seu de attributis diuinæ voluntatis; & quidnam formaliter sit libera Dei voluntas.*

S. Thom. 1. p. q. 19. a. 3. 4. 7. 10.

15 **T**Ria sunt potissimū attributa diuinæ voluntatis, quæ aliquam explicationè desiderant. Primum ac generale attributū diuinæ voluntatis est, quod sit plane immutabilis, non tantum entitatiuè & physicè, siue ex parte subiecti; sed etiã moraliter, & ex parte obiecti; siue secundum habitudinè ad obiecta, adquatè tamen, & secundum omnes circumstantias spectata, vt ex communi & certa docet S. Thomas hic q. 19. a. 7. & supra q. 5. de Deo vniuersim, ac postea quaest. 8. speciatim de scientia Dei diximus.

Ea vero diuinæ voluntatis immutabilitas nihil obstat, quo minus Deus interim & velit, & reipsa efficiat eas, quas oculis cernimus. rerum mutationes; quin & sæpe factâ rerum mutatione, res aliquas pro aliquo tempore nolit, quas antea & pro tempore præcedenti volebat: quæ voluntas diuersa, dicitur aliquando *penitentia* in Deo, metaphorice nimirum & improprie, vt ex communi docet sanctus Thomas hic quæst. 19. art. 7. Vtrumque testatur scriptura. Sapient. 7. vers. 27. *Et cum sit vna, omnia potest. Et in se permanens, omnia in nouat.* Et Genes. 6. vers. 6. *Penituit eum, quod hominem fecisset in terra, &c.* Nec eadem immutabilitas diuinæ voluntatis obstat, quò minus in Deo maneat potentia, siue *virtus logica*, vt loquitur Caietanus hic quæst. 19. articulo 7. Seu vt cum alijs loquitur Vasquez eodem artic. 7. potentia, seu *virtus physica*, ad volendum oppositum eius, quod voluit, in sensu diuiso, non composito; vt in simili etiam de scientia Deo quæst. 8. dictum.

2 Secundum attributum diuinæ voluntatis est, quod sit causa rerum; nimirum simul cum intellectu, vt docet sanctus Thomas quæst. 19. art. 4. & dictum supra quæst. 8. dub. 10. Est enim Deus agens intellectuale, & liberum in operando ad extra, seu in actionibus transeuntibus. Quocirca etiam ad extra operari dicitur non per naturam, sed per voluntatem. Hoc est; Principium talis operationis est quidem reipsa natura diuina, sed non immediate, qua est, vel quatales est, sed vt vult; vt post Sanctum Thomam citat articulo 4. notauit Caietanus ibidem, Ferrarientis 2. contra gent. cap. 23. & Vasquez disput. 81. num. 1. Quo sensu etiam doctrina hæc certa est, non solum ratione naturali, sed etiam per fidem ex Scriptura. Sap. 11. vers. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Psalm. 113. vers. 3. & 134. vers. 6. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Ephes. 1. vers. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue:* quicquid Aristoteles, & Aueroes obscure & ambigüe hac de re locuti videantur, vt videre est apud Vasquez disput. 81. cap. 1.

Controuertitur hic, voluntasne sit propinquo causa rerum, an intellectus? Posterius affirmat Caietanus q. 14. a. 16. item Bannes, Zumel, & alij recentiores Thomistæ hic quæst. 19. art. 4. eademque fuit quorundam veterum sententia, apud Durandum in 2. d. 45. q. 2. Ratio est. Tum quia exemplar, cum efficax est, immediatius concurrat ad effectum, quam causa illud applicat, vt patet in sigillo manu impresso: exemplar vero pertinet ad intellectum; applicatio ad voluntatem, &c. Tñ quia post actum intellectus directiuum, & inclinativum voluntatis, sequitur, vt aiunt, etiam in intellectu diuino, alius actus intellectus per modum imperij, deferens impetum voluntatis ad facultatem exequentem.

3 Proximas autem partes voluntati tribuunt Durandus loc. cit. Suarez hic lib. 3. c. 9. n. 2. & Vasquez disput. 81. numero 8. Et hæc sententia verior est. Probat. Sic enim accidit in agente intellectuali creato; in quò intellectus in operando solum dirigit voluntatem; voluntas autem ita directâ inclinando immediate mouet ad operandum.

potentiam executiuam; ita vt inter actum externum potentie executiue, & actum voluntatis ad hoc inclinantem, nihil medium intercedat.

Ad primum respondetur. Ideam qua idea est, non immediatius concurrere ad opus, quam voluntatem: quia idea sola imaginem & formam exhibet rei faciendæ; quæ vt reipsa fiat, accedere & subsequi debet voluntas; cum præsertim idea sit rerum etiam, quæ nunquam fiunt, ex dictis q. 9. Sigilli autem respectu sigillationis, & intellectus diuini respectu operis externi, nulla est ad propositum, proportio & comparatio: quia sigillum in genere causæ efficientis, est per se & immediata causa sigillationis; manus tantum applicans, & per accidens: Secus est de intellectu ac voluntate, comparatis ad effectum externum ab iisdem procedentibus; cum non intellectus tantum diuinus, sed etiam voluntas sit per se causa effectus transeuntis ad extra; qui tamen à voluntate, vt dictum, immediatius procedit.

Ad secundum respondetur, nec in Deo, nec in homine, seu intellectu creato, dari imperij actum, qui non sit aliquod iudicium intellectus dirigens voluntatem, vt suo loco 1. 2. dicitur. Sed & imperium, prout est peculiaris actus humanus, iuxta S. Thomam in 1. 2. q. 17. a. 3. ad 1. solum datur respectu potentie executiue, quæ tamen ipsa eo imperio ad operandum non mouetur, nisi interueniente alio actu voluntatis impellente, qui vsus dicitur: adeo vt inter imperium, & actionem potentie executiue, necessario intercedat actus ille voluntatis, qui vsus dicitur, & immediatius proinde ad operandum concurrat, quam imperium; vt docui etiam disput. de actibus humanis in genere, thesi 16. & 17. & fusius tom. 2. disp. 2. q. 3. dub. 3. & 5. Præterquæ quod nonnulli distinctum actum imperij simpliciter negent, in quibus Vasquez 1. 2. disp. 49. cap. 4. tamen contra communem Aristotelis 6. Ethic. 10. & 12. & contra S. Thomam 1. 2. q. 17. art. 1. & 2. 2. q. 83. a. 1. nonnulli saltem in Deo negant, in quibus præter Vasquium hic 1. p. disput. 81. numero 9. est Suarez de prædestin. lib. 1. cap. 16. De qua re disput. seq. plura.

5 Tertium attributum diuinæ voluntatis est, quod respectu suorum obiectorum, siue secundum tendentiam & habitudinem ad sua obiecta, partim sit necessaria, partim libera; adeo vt quædam velit naturaliter, ac simpliciter necessario; alia liberè & non necessario, nisi ex suppositione, & quadam necessitate immutabilitatis. Ita S. Thomas q. 19. a. 3. ex communi & certa Doctorum sententia. Siquidem Deus creaturas secundum Esse actuale existentiæ, adeoque efficaci actu voluntatis, vult liberè, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem: naturaliter autem, ac necessario vult & diligit seipsum, vt docet S. Thomas ibidem, & omnes fatentur. Idem dicendum de creaturis secundum Esse possibile; nam & has Deum necessario simplici quodam & inefficaci actu complacentiæ diligere, constat ex dub. 1. & cum Scotto in 3. d. 32. Richardo, & Dionysio in 1. d. 45. & Caietano infra q. 34. art. 3. rectè docet Vasquez disput. 79. c. 2. & disput. 152. cap. 1.

Nec aduersatur S. Thomas cit. quæst. 19. ar. 3. vbi vniuersim pronuntiat, Deum creaturas liberè velle & diligere: loquitur enim de creaturis, vt actualiter aliquando existentibus; siue de amore ac voluntate efficaci creaturarum, vt satis colligitur ex responsione ad 6. vbi allatum discrimen inter voluntatem Dei, & scientiam, respectu creaturarum, intelligendum est de scientia non visionis, sed simplicis intelligentiæ; vt notauit etiam Caietanus ibid. & satis per se constat: cum tamen alias, si ex æquo, & seruata debita proportione scientia Dei cum voluntate comparetur, nimirum scientia simplicis intelligentiæ, cū amore simplicis cōplacentiæ erga creaturas possibiles; scientia visionis cū efficaci voluntate creaturarum existentium, seu vt existunt, quoad libertatē, par vtriusq; sit ratio; cū actus prior vtrinq; necessarius sit; posterior liber; hoc solo quasi materiali discrimine, quod scientia visionis supponat rerum existentiam; ac proinde saltem ex ea suppositione, non possit non esse in Deo; voluntas efficax nō supponat rerū existentiam, sed efficiat; ac proinde quia ex nulla eiusmodi procedit hypothesi, magis quodammodo sit libera, quā scientia, quæ saltē ex dicta hypothesi necessaria est in Deo. Quo modo fortasse intelligi potest S. Thomas loc. cit. vbi discrimen inter scientiam & voluntatem diuinam creaturarum assignat.

6 Vbi tamen notandum, magnum esse discrimen inter libertatem nostræ voluntatis & diuinæ. I. quia nostra voluntas, tam quoad exercitium, quā quoad specificationem actus, ita libera est, vt possit etiam tam ad malum, quam bonum declinare; Dei autem voluntas ad malum inclinare & flecti nullo modo potest.

II. Nos ita liberi sumus in actibus voluntatis, vt possimus etiam liberè cessare ab actu semel cōcepto; Deus non item: quia voluntas ipsius vti & natura, penitus immutabilis est, ex dictis. Quanquam cum ab æterno potuerit creaturas efficaci voluntate non velle; neque vero etiam præfens hæc volitio creaturarum sit, neque periret, nisi ex libera determinatione ipsius voluntatis, quæ semper eadem & immutabilis perseuerat, immutabilitas illa diuinæ voluntatis nihil obstat eiusdem libertati, quoad exercitium.

7 III. Nos quoad exercitium possumus suspensionem penitus habere ac retinere voluntatem, adeoque merè negatiuè nos habere, respectu huius vel illius obiecti voliti: Deus vero non item; esset enim hoc cuiusdam potentialitatis, adeoque imperfectionis; quando etiam nobis talis negatio non contingit, nisi vel ex incogitantia obiecti, vel imperfectione ac difficultate deliberandi; aut quia certè ad nos ea, quæ talia sunt, vtrumque in rerum natura existant, nihil pertinent; quorum nihil de Deo dici potest. Quod tamen interim non obstat, quo minus per quandam mentis nostræ præcisionem, recte quandoque diuina voluntas, in aliquo signo rationis, indifferens, & quasi neutraliter se habens possit considerari.

IV. Denique amor creaturæ est liber, etiam quantum ad Esse, non solum quantum ad terminari tali modo, & ad tale obiectum; supposita eius

existentia in particulari: at vero diuinus amor erga creaturas liber est, quantum ad terminari, non quantum ad Esse, vt rectè notauit Suarez Metaph. disp. 30. num. 41 & inferius patebit.

Vtrum autem libera Dei voluntas etiam contingens vocari possit, quæstio nominis est. Affirmat Scotus in 1. d. 39. q. vn. quem idcirco reprehendit Caietanus hic q. 19. art. 3. sed non male defendit Vasquez disp. 79. cap. 3. num. 16. eo quod contingentia vniuersim ac necessario non magis includat mutabilitatem, quam libertas.

8 Ex quibus etiam constat, in Deo esse liberum arbitrium, vt docet S. Thomas q. 19. a. 10. id quod de fide certum est apud omnes, contra Wicleff articulum 27. damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. Patet ex illo Ephes. 1. v. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum præpositum eius; qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et passim in scriptura Deo tribuitur consilium & electio, qui actus liberum arbitrium, adeoque libertatem in voluntate supponit. Ratio est. Quia Deus secundum suum Esse & operari, penitus est independens ab existētia actuali creaturarum; seque ipso beatus, ac sibi vndiquaq; sufficiens. Ergo actualē existentiam creaturarū non voluit nisi liberè; sicut etiā nō fecit, nisi liberè. Accedit, quod liberū arbitriū est perfectio simplex, quæ p̄inde Deo denegari non potest, vt pluribus dicitur dub. 6.

Sed celebris dubitatio & difficultas est, quidnam formaliter sit libera volitio Dei, quidque superaddat essentiæ diuinæ: eademque est ratio scientiæ visionis creaturarum, quam itidem in Deo liberā esse diximus q. 8. dub. 10. Quia in re omisso absurdo & insulso errore cuiusdā recentioris Caluinista, q. in suo Tractatu de Deo docuit, decreta eiusmodi libera Dei, esse accidentia quædam ab ipsius substantia longè diuersa, nec simpliciter æterna, licet ante mundi creationem fuerint producta; qui error ex dictis q. 2. dub. 2. & q. 3. du. 1. & q. 5. dub. 1. refellitur: inter Catholicos scriptores primasententia est, quæ referunt Ariminensis, & Capiteol. in 1. d. 45. & indicat Altisidorenensis 1. p. Sum. c. 13. eiusmodi actus nihil in Deo esse, vel dicere, præter relationē rationis, seu extrinsecā denominationē, ab ipsa actione Dei transeunte circa creaturas.

9 Sed est sententia falsā & erronea, vt rectè cum alijs Suarez Metaph. d. 30. sect. 9. n. 5. Primò quia hac ratione Deus, nō nisi improprie diceretur velle creaturas; quod tamen est contra scripturam, ex dictis. Sequela constat: quia nuda relatio rationis ad obiectum volitum, aut cognitum; aut sola denominatio extrinseca ab actione Dei transeunte, circa creaturas volitas, aut cognititas, nō est vera & propria voluntas; quæ aliquid positium, reale, & intrinsecum significat. Secundò, quia non omne velle Dei liberum necessario inuoluit aliquā mutationem, saltē realē, circa creaturas; & per consequens nec actionē transeuntē realem. Exemplū v. g. est in lege Moysis, quā libere voluit Deus validam esse & obligatoriā, vsq; ad mortem Christi; postea vero obligatoriā non esse; cum tamē interim circa obiectum hoc volitum legis Mosaicæ nulla realis mutatio, nec adeo etiam actio trāsiens vlla interuenerit. Tertio, amare, scire, ex sua com-

minissima ratione, sunt actiones vitales; adeoque denominationes reales & intrinsecæ; ac proinde non solæ relationes rationis, vel denominationes extrinsecæ.

10 Secunda sententia est Caietani hic q. 19. a. 2. & 3. ubi docet, has actiones formaliter dicere & superaddere diuinæ essentiæ aliquam perfectionem intrinsecam, liberam tamen & voluntariâ, adeoque *diminutam*; cuius carentia nullam inuoluat imperfectionem; ita vt perfectio illa secundû se etiam, & suam entitatem libera sit in Deo; adeoque formaliter distincta ab essentia.

9 Sed & hæc sententia communiter ab omnibus, etiâ Thomistis, alijsq; recentiorib; tanquã absurda, malè sonans, & parum tuta in fide merito rejicitur; speciatim à Ferrariensi lib. 1. cont. gent. c. 75. Banne & Zumel hic q. 19. art. 2. Gregorio de Valentia q. 19. punct. 3. Molina q. 19. a. 2. disp. 2. Suario in Metaph. cit. disput. 30. sect. 9. num. 11. Vasquio disp. 80. cap. 1. Ratio est. Quia inde sequeretur, Deum non esse ens vndiquaque necessarium, nec simplex. Illud, quia aliqua intrinseca perfectio & entitas in Deo libera esset. Hoc vero; quia quod formaliter ens positium est, & altero manente, secundum se, & suammet entitatem positiuam formalem, potest abesse, necesse est ab eo à parte rei distingui: id vero quod constituitur ex eiusmodi perfectionibus, à parte rei distinctis, non potest esse plane simplex & incompositum.

11 Tertia sententia est, eiusmodi actus liberos formaliter dicere tum ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus vitalis, puta volitionis vel intellectus ad obiecta creata includentis; tum aliquam denominationem extrinsecam, seu habitudinem rationis, secundum quã vel actualiter, vel quasi potentialiter nostro intellectu referatur, ad hoc potius, quã ad illud obiectum; & hanc ipsam adeo solum relationem rationis, seu denominationem extrinsecam, aiunt auctores huius sententiæ, superaddere actus illos Dei liberos ipsimet essentiæ diuinæ: licet interim actus liberi, non solam hanc relationem rationis, seu denominationem extrinsecam significant, sed simul etiam ipsam diuinam essentiam, vt dictum. Atque ita docet Capreolus in 1. distinct. 45. & videntur sequi Gregorius de Valentia citat. quæst. 19. punct. 3. Molina quæst. 19. articulo 2. disputat. 2. Vasquez disp. 8. cap. 2. alijsque recentiores communiter.

12 Sed & hæc sententia non exiguas patitur difficultates. Tum quia relatio rationis actualis, non potest esse de ratione actus æterni, & in se penitus absoluti; quocirca etiam supra diximus, eum qui videt Deum, vt est, non necessariò intelligere, eius habitudinem ad creaturas. Tum quia prius est, velle creaturas, quam has ad Deum, aut Deum ad illas actualiter referri, cum ipsa volitio diuina sit causa creaturarum, adeoque & relationum, & denominationum, quæ in ipsis fundantur: scientia autè libera visionis et si non sit causa, nec ratione prior ipsis creaturis existentibus, est tamen ratione prior denominatione rationis inde subsequente; sicut & denominatione extrinseca, qua creatura dicitur cognita. Ex quibus plane effi-

citur, nec relationem rationis; nec denominationem extrinsecam, qua creatura dicitur volitæ aut cognita, spectare ad rationem intrinsecam liberæ volitionis, aut scientiæ diuinæ.

13 Quod si quis dicat, relationem rationis fundamentaliter tantum esse de ratione huius volitionis aut scientiæ, tum redit quæstio de ipso fundamento, quid sit. Cum enim non possit esse in creatura, tanquam natura posteriori ipsa volitione libera Dei, vt dictum, fatendum est, esse in ipso Deo, & quidem aliquid reale positium; ergo vel liberum, vel necessarium. Si hoc, quomodo potest esse fundamentum liberæ volitionis & denominationis? si illud, tum incurritur in sententiam Caietani, superius reiectam. Vnde Suarez n. 35. & Vasquez lo. cit. oppressi difficultate huius quæstionis, fatentur tandem, scire se quidem, quid non sit hæc libera determinatio, seu liber actus vitalis in Deo: quid autem sit, non satis se scire.

Ad hanc difficultatem, quasi melius declarâdo tertiam hanc sententiam, Respondeo breuiter & distinctè. I. Actum liberum tam voluntatis, quam scientiæ diuinæ, essentialiter & in recto esse ac dicere ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus vitalis intrinseci: quod est contra primam sententiam.

II. Hunc actum vitalem in Deo, præter entitatem essentiæ diuinæ, nihil superaddere reale & intrinsecum Deo; quod est contra secundam sententiam: etsi præter conceptum essentiæ, dicat tendentiam ac terminationem ad hoc, vel illud obiectum liberè volitum, aut scitum.

14 III. Tendentiam illam liberam in Deo, includere quidem simul denominationem extrinsecam, secundum quam creatura terminet diuinam volitionem, aut cognitionem liberam; sed ipsam tamè per se non esse meram denominationem extrinsecam in Deo, neque relationem rationis; sed realem, intrinsecam, ac vitalem motionem seu exercitium actus vitalis, ad hoc vel illud obiectum liberè volitum, vel cognitum tendentis; non tamè ab ipsa essentia, seu actu eius vitali, à parte rei distinctam; neque realem relationem ad creaturas volitæ, aut cognitæ includentem.

15 IV. Actum vitalem liberum in Deo, præter essentiam diuinam, sub ratione actus vitalis, tendentis ad hoc vel illud obiectum volitum, vel amatum, & denominationem illam extrinsecam obiecti terminantis, non includere formaliter & intrinsecè vllam aliam denominationem extrinsecam, obiecti voliti vel cogniti, neque etiam vllam relationem rationis; licet vtrumq; hoc, tam denominationes scilicet illæ extrinsecæ, quam relatio rationis, ex actu illo vitali libero consequantur.

16 V. Fundamentum huius relationis, & formam denominantem obiectum liberè volitum vel cognitum, esse ipsamet essentiã diuinã, sub ratione actus vitalis liberè tendentis ad hoc vel illud obiectum volitum, aut cognitum; qui actus tametsi secundum entitatem suam ens plane necessarium sit; liber tamen est quoad exercitium, seu actualem tendentiam & terminationem ad hoc, vel illud obiectum.

VI. Voluntatè Dei liberam determinare ad exercitium actuale volendi potius creaturas, quã non

volendi se ipsam, per volitionem quandam virtua-  
lem, in quodam priori signo rationis, antecedente  
ipsum exercitium actus, seu actualementiam  
volitionis in illud obiectum. Hac declaratio vide-  
tur esse ex mente Suarez & Albertini locis cit. &  
probat per sigillatim quoad singula capita.

Et primum quidem, contra primam sententiam,  
satis constat ex dictis, in refutatione eiusdem senten-  
tiae. Hoc ipso enim quod libera Dei volitio & sci-  
entia dicit aliquid intrinsecum Deo, non potest esse  
aut dicere aliud, quam ipsam diuinam essentiam;  
non quidem formaliter, ac iuxta nostrum conce-  
ptum modum, sub ratione essentiae; ex dictis de at-  
tributis in genere: Ergo sub ratione actus vitalis  
volendi, cognoscendi; qui actus formaliter, illis  
nominibus significatur.

Secundum quo ad priorem partem patet ex re-  
futatione secundae sententiae: quoad posteriorem ve-  
ro partem, patet ex dictis; quia cum eiusmodi volitio,  
aut scientia libera dicat ipsam essentiam diuinam, sub  
ratione actus vitalis in actu secundo exercitii, neces-  
se est, ut formaliter includat rationem tendentiae,  
seu (qualisqualis illa sit) terminationis ad hoc, vel  
illud obiectum volitum, aut scitum: cum id sit commune  
omni actui vitali volitionis & cognitionis, & de in-  
trinseca ratione cuiusque, ut tendat ac feratur in  
hoc vel illud obiectum volitum aut cognitum:  
quae tendentia significari etiam potest nomine  
terminationis actus.

17 Tertiū dictū, quod ad primā partē attinet, pro-  
batur, quia actū vitalem tendere & ferri in obiectū,  
& obiectū terminare actum, sunt ratione simul, si-  
cut duo relatiua, neque vnū potest esse sine alio; cum  
ergo hoc, quod est obiectū terminare volitionem,  
respectu ipsius volitionis, sit denominatio quasi  
quaedam extrinseca; recte dicitur volitionē, eiusque  
vitalē tendentiā in obiectū includere denomina-  
tionē illā extrinsecā, secundū quā creaturā termi-  
net volitionem & cognitionem liberā. Secundam  
partē eiusdem dicti indicat Suarez l. c. vbi distin-  
guit inter actū diuinū volitionis creaturarum, &  
exercitiū eius; nec per exercitiū actus videtur aliud  
intelligere, quā actualē tendentiā in obiectū. Al-  
bertinus to. i. princ. 6. coroll. 2. q. 2. n. 33. tendentiā  
illā vocat *exercitium vitale liberū actus*; quod vtique  
ab ipso actu re ipsa nullo modo distinguitur. Vnde  
eadem pars probatur; quia vitale exercitiū actus,  
quo nimirum actus ipse vitalis actualiter fertur in  
obiectū; non est sane mera denominatio extrinse-  
ca; nec relatio rationis; cum actus plane realiter ac  
vitaliter in obiectū suum feratur. Qui vero autho-  
res dicunt, aut significant, terminationē non esse  
denominationem extrinsecā actui; per eā non in-  
telligunt ipsum exercitiū vitale actus, siue tenden-  
tiam eius in obiectum, quā terminationē actiuam  
ad obiectum vocauimus; sed terminationē obie-  
cti, qua actus vitalis ab obiecto terminatur. Tertia  
pars patet ex secundo dicto. Quarta pars patet ex  
generali doctrina de relationibus Dei ad creatu-  
ras, quas solum esse rationis, diximus supra quaest.  
6. dub. 8.

18 Et vero est, quoad hoc vtrumque, discrimen in-  
ter volitionem diuinam, & creatam: huius enim  
tendentia vitalis in obiectū, & distinguitur re ipsa

à natura viuente, nō minus quā ipse actus vitalis,  
in quo ea tendentia includitur; & simul continet  
habitudinem realem ad obiectum: quod de diui-  
na volitione, seu actu vitali dici non potest. Neque  
ideo, quod tendentia diuinā volitionis & cogni-  
tionis in obiectum, est realis, sequitur actum ip-  
sum habere relationem realem ad obiectum; quia  
tendentia illa non est relatio, sed in Deo vis absolu-  
ta vitalis & intrinseca actus: licet sit fundamen-  
tum relationis rationis subsequens: sicut etiam  
creatio est realis actio diuina, circa obiectum crea-  
tum: neque tamen includit, aut supponit relati-  
onem realem Dei ad creaturam.

19 Quartum dictum probatur. Quia in omni actu  
volitionis & cognitionis, denominatio extrinseca,  
secundum quam obiectum dicitur volitum aut cog-  
nitum, posterior est ipso actu volitionis & cog-  
nitionis, tanquam forma denominante; ac proinde ad  
essentiam & rationem formalem actus eiusmodi  
vitalis non pertinet. Multo minus ad rationem in-  
trinsecam actus vitalis pertinet relatio rationis,  
quae ipsa etiam denominatione extrinseca quo-  
dammodo posterior est.

Quintum dictum, quoad priorem partem, in-  
terminis tradit Albertinus tom. i. princ. 6. coroll.  
2. q. 2. n. 33. vbi contra Vasquez recte docet, funda-  
mentum huius respectus rationis, quo liber actus  
volitionis diuinā libere respicit creaturam volitā,  
seu quo obiectum dicitur & concipitur liberē vo-  
litum aut cognitum, non esse, ut existimat Vasquez  
l. p. d. 80. ipsas creaturas, sed ipsum exercitium vi-  
tale vt liberum, seu tendentiam vitalem, vt liberā,  
quam diximus esse in Deo. Et ratio est. Quia res-  
pectus iste antecedit effectum creatum; quod nō  
contingit in respectu creatoris, qui subsequitur  
rem creatam, vt bene aduertit etiam Henricus  
quodlib. quaest. 1. Posterior pars est communis  
Doctorum, quos citauimus: qui propterea di-  
cunt, amorem diuinum erga creaturas esse liberū,  
quantum ad terminari, non autem quantum ad  
esse, vt speciatim loquitur Suarez, Albertinus, &  
alii; et si Vasquez cit. disp. 80. cap. 2. n. 13. absolute  
neget, in Deo esse actum liberum, qui possit in eo  
non esse.

20 Et si vero ea pars directe probari aliter non pos-  
sit, quam ex refutatione aliarum sententiarum, &  
ne in aliquod eiusmodi absurdum incidatur, vt di-  
catur, aut volitio Dei libera nulla penitus esse in  
Deo perfectio intrinseca; aut aliqua intrinseca in  
Deo perfectio, etiā secundum suā entitatē esse con-  
tingens, aut non necessaria, fatendum est, volitio-  
nem diuinam liberam, esse quidem ipsam entitatē  
diuinā essentiae, atque amoris Dei erga seipsum; quae  
etiam sub hac ratione Ens sit necessarium: at vero  
eandem volitionem in Deo, secundum rationem  
tendentiae actualis & terminationis ad hoc, vel il-  
lud obiectum creatum, esse liberam.

Quod nō videbitur incredibile cogitanti, essen-  
tiam diuinam, ob infinitatē suam, tantē esse perfe-  
ctionis, vt per seipsā, absque additione nouae perfe-  
ctionis, tantumde possit, quantum si adderetur noua  
perfectio; atque ita fieri posse, vt cum entitativē quidē  
sit Ens vndiquaque necessarium, tamē secundum  
rationem exercitij & tendentiae actualis & vitalis,  
atque

atque habitudinem, ad hoc vel illud obiectum liberè volitum, aut scitum, non sit ens necessarium, sed liberum: quæ tendentiæ & habitudo, etsi non sit de formali ratione ipsius essentia diuinæ, velut entis in se absoluti; necessaria tamen est, & à nobis necessariò concipi debet; ad hoc, vt sub ratione talis vel talis actus vitalis; ad hoc vel illud obiectum concipiatur.

21 Et quamuis nulla forma creata & finita eadem omnino, & omnibus alijs à parte rei imutatis possit alium atque alium effectum formalem dare: tamen eadem infinita entitas Dei, ob suam infinitatem, potest secundum se penitus imutata, imò nulla vspiam reali mutatione in præfenti adhuc interueniente, (esto volitio efficax creaturarum inducat mutationem aliquam in creatura futura) & volentem hoc obiectum creatum, & non volentē constitutere; ita vt ab æterno fuerit in potestate Dei (prius ratione, quam se ipsum determinaret ad alterutram partem) per hæc entitatem indiuisibilem, prorsusq; imutata tendere in obiectum, & non tendere: quæ res quidem mysterio plena est, sed digna Maiestate & celsitudine diuinæ essentia.

Simile quiddam cernimus in sustentatione hypostatice personæ Verbi, cum natura humana; vbi sustentatio hæc vtique non solum est rationis, aut mera denominatio extrinseca; sed vera & realis terminatio Verbi ad naturam humanam vnitā: & tamen in hypostasi diuina nullam penitentiā de nouo mutationem, aut nouæ perfectionis accessionem significat; quia nimirum Verbum diuinum ob suā perfectionem tantundem potest, quantum si noua ei quælibet perfectio accederet.

22 Sed & in rebus creatis, tamen si nullū vndiquaq; simile exemplū reperiamus, sunt tamen hæc duo non parum similia, iuxta probabilem multorum philosophiam: Primum est. Quod actus vitalis visionis v.g. poni possit in lapide, in quo tamen vim & exercitium actus vitalis (quæ est tendentiæ vitalis & actualis in obiectum) in actu secundo non exerceat: qui tamen idem numero actus si ponatur in subiecto vitali, saltem cum emanatione & influxu vitali ipsius subiecti in actum, statim exercitium & officium actus vitalis re ipsa exercebit. Imò sunt, qui existimant, fieri posse (in quibus est etiam Albertinus l. cit.) vt idem actus vitalis à solo Deo constituatur etiam in subiecto vitali, v.g. in homine; & tamen officium & exercitium actus vitalis non exerceat; nisi nouo influxu ipsius potentia vitalis conseruetur: & in vitroque hoc casu; actus vitalis secundum entitatem suam ipsi subiecto necessitate inest; cum tamen tendentiæ vitalis in obiectum non sit necessaria; imò in priori casu nec possibilis: multò magis ergo in Deo fieri potest, vt actus vitalis volitionis, aut cognitionis, secundum entitatem suam, aut etiam respectu certi obiecti, sit necessarius; cum tamen secundum tendentiæ actualem (quæ ab Alberti & Suarez vocatur actuale exercitium) respectu alterius obiecti non sit necessarius, sed liber. Dissimile tamē est, quod ille actus vitalis creatus, dicitur aliter & aliter afficit subiectū, reuera aliquā saltē accidentale subit mutationē, cū vel in alio & alio subiecto constituitur; vel certe alio & alio influxu conseruetur,

&c. quod in actu diuina volitionis non accidit.

23 Aliud exemplum est in relationibus creatis, v.g. relatione paternitatis; quæ cum ex probabili quorundam philosophia non re, sed solū ratione rationata distinguantur à subiecto, & fundamento, v.g. à natura seu potentia generatiua, adeoque suam omnem entitatem habeant in subiecto, etiam proxima ratione fundandi, aut termino nondum existente; nihilominus tamen officium & actum relationis actualis non exercent, nisi posita ratione fundandi, v.g. generatione actiua, & termino, qui est filius. Si itaque vna & eadem entitas creata potest in subiecto exercere actum referendi, & non exercere, absque omni mutatione reali intrinseca; cur non multò magis diuina essentia possit liberè terminari in hoc vel illud obiectum; etiam si quoad entitatem suam sit ens necessarium. Dissimile illud exemplum tamen est, quod in relationibus saltē extrinsecus aliqua mutatio requiritur, & præsupponitur, vt entitas relationis in actum secundum referendi redigatur; cum tamen ad volitionem diuinam (quæ æterna est) nulla eiusmodi mutatio præuia requiratur; nimirum ob infinitatem suæ perfectionis, quæ à nulla re creata dependet.

24 Atque ita tandem hanc difficultatem dissoluerè videtur Suarez Metaph. d. 30. q. n. r. r. & fusius ex eius mente declarat Albertinus loc. cit. qu. 2. Theolog. & fauet S. Thomas hic q. 19. a. 2. ad 4. & art. 5. & præcipue art. 3. vbi expressè docet, nihil perfectiōis accrescere Deo, ex eo, quod velit alia à se; quod etiam ex instituto docet r. cont. gent. cap. 76. idque ipsum præcipue intendit Scotus in 1. d. 39. & Heruæus quodlib. r. q. r.

Sextum dictum tradit Albertinus l. cit. n. 26. & 33. Et probatur. Quia etiam in potentia creata libera, necessariò tandem deueniendum est ad eiusmodi volitionem virtualem, antecedente ipsum actū liberū, per quā ad actū seu volitionē liberam voluntas determinetur. Neque enim primò determinatur per ipsum actū, seu influxum actualem in actū; quando ad ipsum actū & influxū iam determinatū præuia determinatio necessaria est: neque per actū imperij; qui si necessario non secum trahit actū liberum, de quo sermo est, non potest ad vñū determinare; si autem eum necessario secum trahit, ne tollat libertatem, necesse est, potentiam liberā ad eū, velut actū liberū, aliunde determinari. Ergo ne detur processus in infinitum, aut tollatur libertas: necesse est admittere volitionem virtualem, quæ voluntas prior ratione & natura, quam eliceret actum liberum, potuerit tā actum illum, quem postea elicit, quā oppositum, seu contradictoriū illi elicere, vel facere; vt etiam communiter admittunt Doctores. Igitur etiam in Deo prius intelligitur esse in potestate ipsius, exercere actū volendi, vel non volendi, quam sit ipsum exercitium actus. Quod etiam indicat Aureolus in r. d. 47. q. 1. art. 1. cum ait in potestate Dei esse, velle & non velle; & ipsum velle non exposcere aliquem actū determinatū, sed plenitudinē perfectionis; in qua nimirum volitio illa virtualis præuia cōtinetur. Atq; hæc de obsecurissima hac; & abstrusissima difficultate satis.

Poterant quidem tribus attributis recēditis diuinæ voluntatis, ad hæc alia duo adiungi; nimirum

quod voluntas diuina sit rationabilis & ordinata; item quod quibusdam rebus necessitatem imponat, alijs vero non item: sed quia hæc peculiare suas difficultates habent, seorsim sequentibus dubijs explicabuntur.

#### DVBIVM V.

*An, & qua ratione diuina voluntatis sit rationabilis; seu an sit aliqua causa, vel ratio diuina voluntatis; & quisnam in actibus ipsius sit ordo.*

S. Thomas 1. p. q. 19. a. 5.

**I**N hac re certum est primò, nullam dari causam diuinæ voluntatis propriè dictam; nec finalem quidem, seu in ipso Deo, seu extra Deum, vt ex certa & communi omnium sententia post sanctum Augustinum lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 2. docet S. Thomas hic q. 19. a. 5. Ratio est. Quia omnia quæ in Deo sunt (seclusis relationibus personalibus, quæ ad propositum nihil faciunt) simplicissima quædam entitas sunt: inter causam autem propriè dictam, & effectum requiritur distinctio realis. Nec Deus igitur, nec aliquid quod in Deo est, habet aut exercet rationem & officium cause finalis propriè, respectu ipsius interni actus volitionis, aut cognitionis diuinæ, secundum se. Nec etiam aliquid extra Deum: quia Deus, secundum suum Esse à nulla re creata, aut quæ extra ipsum sit, dependet, aut dependere potest; cum sit ens primum & independens, vt superius dictum.

Secundò certum est nihilominus, voluntatem diuinam esse ordinatam & rationabilem. Patet Rom. 13. v. 1. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* & Ephes. 1. v. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vnde patet, Deum omnia quæ exterius operatur, certo consilio facere, adeoque etiam velle facere. Ratio est; non solum quia voluntas non fertur nisi in obiectum cognitum; ac proinde etiam in nobis, aliquam secundum rationem præuiam notitiam intellectus præsupponit: sed etiam quia cum Deus sit infinite sapiens, & prudens; omnia optima ratione & consilio agit & gerit. Quæ de causa etiam Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 82. dixit, voluntatem diuinam determinari ad actum volitionis à scientia: licet Henricus opposito loquendi modo vsus, dixerit, voluntatem Dei non determinari ab eius scientia ad operandum, sed potius scientiam à voluntate; quia nimirum, in virtutem saltem aliquam Dei volitionem, determinatio ad volitionem liberam vltimate referenda est, à qua ipsius quoque intellectus notitia, quæ & quateus libera est, aliquo modo dependet, vt dub. præcedent. in fine diximus.

Tertiò certum est, rationem quidem & motum res creatas volendi, esse ipsam bonitatem diuinam; ita vt hæc per modum finis, non ipsi-

us volitionis, sed rerum creatarum; sit ratio volendi creaturas; vt docet sanctus Thomas 1. par. quæst. 19. articulo 5. ex communi & certa Doctorum sententia; & tradit Scriptura, Proverb. 16. vers. 4. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Et ratio est: quia vt creaturæ intrinsecè ac necessariò ordinantur, ad Deum tanquam finem; ita etiam ratio volendi illas, in Deo, alia esse non potest, quam ipse Deus, qui omnia eo vult ordine, quem res ipsæ inter se, habent.

Id quod in primis quidem verum est, de volitione creaturarum secundum actualem existentiam; de quibus etiam loquitur sanctus Thomas ibidem: nam quoad creaturas secundum Esse possibile spectatas, alia videri potest ratio; cum vt creaturæ rationem Esse possibile non habent, quia à Deo fieri possunt; sed è contrario fieri possunt, quia possibile sunt, vt quæst. sequenti dicitur; ita videri potest earum bonitas & volitio simplex, à Dei bonitate, etiam ratione nostra, independens esse. Sed nihilominus quia Deus est summum bonum, adeoque mensura omnis bonitatis, ipsæque creaturæ non aliter possibile sunt esse, quam propter Deum tanquam vltimum finem, rectè & ipsas quoque velle dicitur Deus propter se, tanquam vltimum finem earum, ob quem esse possunt, & ad quem, in quantum esse possunt, referri debent.

Quartò certum est, & fatentur itidem omnes, cum sancto Thoma ibidem, inter ipsas quoque res creatas volitas, esse ordinem quendam finis & mediourum; ita vt vna quæpiam res, adeoque & effectio ac productio eiusdem, sit propter aliam, tanquam finem, cui deseruire debet. Quo modo herbe sunt propter animalia; animalia item, cætera, vna cum alijs rebus inferioribus, propter hominem; homo purus propter Christum; Christus vna cum cæteris rebus omnibus propter Deum. Qui ordo sumitur ex illo Genes. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs; uniuersaq; terræ, omniq; reptili; quod mouetur in terra.* Et vers. 29. *Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & uniuersa ligna, quæ habent in semetipsis semenem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; ueluti cæli, & uniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Et 1. Corinth. 3. vers. 22. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephus (nempe quoad Apostolicum munus) siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei.*

Quo sensu etiam extra controuersiam propriè dici potest, Deo vult hanc rem esse, vel fieri, aut facere, propter illam: quando quidem fieri & facere significant actionem Dei transeuntem; quæ cum sit in rebus ipsis creatis, non in Deo; non minus quam res ipsæ create, ad Deum veluti finem ordinatur, vt post S. Thomam cit. q. 19. a. 5. in corp. art. sub finem, & ad 1. habet communis & certa Doctorum sententia, apud Vasquez 1. par. disp. 82. num. 5.

Quintò

4 Quinto eertum est, propter eundem ordinem, quem res create inter se habent, ac iuxta earundem inter se subordinationem, in ipsa quoque voluntate diuina, in res eiusmodi velut obiecta tendente, recte distingui ordinem quandam signorum, seu instantium rationis, secundum que Deus hoc prius, quam illud velle dicatur, non re, vel tempore, aut natura, seu vero causalitatis ordine, sed ratione, eum fundamento in re, quod est ipsa subordinatio rerum inter se, vt dicitur.

Docet hoc S. Augustinus tum alibi passim, tum lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. vbi inter alia ait: *Non tamen electio praeceedit iustificationem, sed electionem iustificatio.* Et lib. 1. cont. Iulianum cap. 3. *Ne forte ante constitutionem mundi, ex operibus praecognitis pararentur electi, secutus est & adunxit, si autem gratia, iam non ex operibus.* In decurto in re, quod est Augustinus iustificationis decretum electioni, in hoc electionem praecognitioni operum in diuina mente anteponeat videtur: quae duo quomodo inter se cohaerent disp. seq. quaest. 5. dicitur. Item supponit S. Prosper in epist. ad Augustinum, vt habetur ante libros eius de praedestinatione Sanctorum, vbi ait: *An vero vniuersimode licet diuidi praescientia a proposito, temporali distinctione (hoc est secundum ordinem, aut prioritatem temporis) non possit; ordine tamen vnum aliud supponat, quia scilicet ex eo Deus praescit bona merita, quia propositum habuit ea tribuendi, &c.*

5 Idem supponit passim S. Thomas, praesertim 1. cont. gent. cap. 86. vbi tribus rationibus ex instituto probat, dari rationem diuinam voluntatis, non causam: vbi penes ipsa etiam obiecta creata, ordinem & rationem aliquam diuinam voluntatis assignat, cum ait: *Bonum vniuersi esse rationem, ob quam Deus vult bonum creatum singulare.* Et cap. 87. *Quamuis autem, inquit, aliqua ratio diuinam voluntatem esse possit, non tamen sequitur, quod voluntatis eius sit aliqua causa.* Similem ordinem inter obiecta creata etiam assignat hic quaest. 19. articulo 5. ad 3. vbi ait: *Primi effectus (Dei) ex sola diuina voluntate dependent, utpote si dicamus, quod Deus voluit, hominem habere manus, vt deseruirent intellectui, operando diuersa opera: & voluit eum habere intellectum, ad hoc, quod esset homo: & voluit eum esse hominem, vt frueretur ipso, vel ad complementum vniuersi. Quae quidem non est reducere ad alios fines creatos.*

6 Eadem est communis & certa Doctorum sententia, qui tum in materia praedestinationis, tum Trinitatis, & Incarnationis varia assignant instantia rationis, inter actus & decreta diuinam voluntatis. Idem speciatim tradunt Gregorius de Valentia hic quaest. 19. p. 5. Suarez lib. 3. cap. 7. & in 3. part. tom. 1. d. 41. sect. 4. Vasquez disp. 82. cap. 3.

Neque negant alij, quam Nominales, in quibus Gabriel in 3. dist. 2. quaest. vn. art. 3. dub. 3. contra Scotum ait: *quod illa prioritas & signa non sunt ponenda in diuinis, sicut satis deducit Ockam in 2. dist. 9. q. 3. Præ in nullo signo praedestinavit quemcumque ad beatitudinem, quia in eodem praedestinavit omnes beatificandos, & praesciuit omnes damnandos, & prauidit omnia futura. Nec est talis ordo in diuinis, sed ab aeterno praedestinavit, quos elegit: praesciuit etiam, quos*

reprobavit; simulque praecidit merita & demerita, penas & futura premia &c. Vbi Gabriel cum Ockamo generatim ordinem signorum seu instantium in diuinis negat. Ockamum sequitur etiam Allicus in 1. q. 7. art. 3.

7 Ratio nostrae doctrinae est. Quia Deus vult non tantum res ipsas, sed etiam ordinem rerum; quem inter se habent; itemque vult vnum esse, propter aliud, vt superius dictum: ergo secundum ordinem, quem res inter se habent, recte in mente diuina assignantur instantia, seu signa rationis, secundum quae hoc prius ratione velle dicatur, quam illud. Transunditur enim ordo rerum, cum certa subordinatione volitarum, secundum rationem nostram, in ipsam volitionem, quatenus in res eiusmodi, ita ordinatas tendit. Neque vero quando eiusmodi instantia, siue signa rationis in diuina mente assignantur, vnumque altero prius ratione dicitur, sensus est, in eo priori, posterius re ipsa nondum esse, vt putauit Ockam loc. cit. Sed nondum cogitari esse, vt recte etiam notauit Gregorius de Valentia hic q. 19. p. 5. Eo ipso enim, quod ordo solum rationis est, non excludit similitatem eorum secundum rem, sed solum secundum rationem & cogitationem: sicut etiam cum dicimus, solem esse naturam priorem, luce; non dicimus, solem in aliquo instanti fuisse sine luce, sed in aliquo instanti rationis concipi solem, in quo lux simul non concipiatur.

His igitur tanquam certis suppositis, dubium est primo, an proprie dici possit, inter ipsas etiam res creatas, vnam esse Deo rationem volendi aliam, aut Deum vnam velle propter aliam; sicuti superius comparando res creatas cum Deo, diximus, Deum omnia velle propter se, suamque bonitatem. Negat Vasquez disp. 82. cap. 2. post Alenssem in 1. p. q. 28. m. 3. a. 3. & quaest. 35. m. 3. Henricum quodlib. 4. q. 19. Gabrielem in 1. d. 14. q. 1. a. 2. Driedonem de concord. lib. arbit. & praedestin. 1. p. cap. 4. ad 4. Fauet etiam S. Thomas hic q. 19. a. 5. in corp. vbi ita concludit: *Vult ergo hoc esse propter hoc; sed non propter hoc, vult hoc.*

8 Sed verior est, sententia affirmatiua, quam tradunt, & sequuntur Durandus in 1. d. 41. quaest. 2. num. 5. Antonius Corduba q. 56. Gregorius de Valentia q. 19. pun. 5. Molina q. 19. art. 5. Suarez hic lib. 3. cap. 7. num. 12. & in 3. p. tom. 1. disp. 41. sect. 4. multi que Thomista recentiores, estque aperte sententia S. Thomae 1. cont. gent. cap. 86. & 87. in verbis paulo ante relatis; qui eum hic contrarium asserere videtur, excludit solum proprium ordinem causalitatis; eodemque modo saepe loquuntur SS. Patres apud citatos. Ratio est; quia hoc ipso, quod Deus vult hoc esse propter aliud, ratio aliqua volendi hoc, est aliud; seu quod idem est, ratio, cur voluntas diuina feratur & terminetur ad hoc, est illud aliud, propter quod hoc vult esse: ita vt quamuis illud non sit causa ipsius actus diuini, sit tamen ratio, secundum nostrum concipiendi modum, cur actus diuinus feratur & terminetur ad hoc obiectum. Et confirmatur. Quia ex communi & certa omnium sententia, recte dicimus, Deum velle res creatas

propter suam bonitatem; cum tamen nec bonitas Dei sit causa volitionis eiusdem, ut antea dictum: Ergo recte etiam dicimus, Deum inter res creatas unam velle propter aliam: cum non finis tantum, sed etiam media, ratio volendi aliud esse possint.

9 Unde Suarez loc. cit. ait: *propriissime dicitur Deum velle unum propter aliud*; quia locutio illa solum dicit ordinem obiectorum inter se. Imo addit, etiam has, ut veras, quodam sensu (si videlicet solum significetur ratio volendi ex parte obiecti, iuxta nostrum concipiendi modum) esse admittendas; *Deus vult hoc, quia vult illud vel; Hoc est volitum a Deo, quia illud est volitum*: quam propositionem etiam concedit Caietanus hic cit. art. 5. etsi parum consequenter neget priorem. Verius tamen, & magis consequenter Gregorius de Valentia, & Molina utramque propositionem rejicere videntur; nisi declaratio & distinctio adhibeatur: quia per utramque significari videtur, in re pluralitas quaedam volitionum in Deo.

Secundo dubium est, quam ratione ordo signorum & instantium in diuina voluntate particulatim assignandus sit: de qua re variè loquuntur Doctores: nos breuiter sequentibus assertionibus rem declaramus.

Assertio I. Inter actus diuinae voluntatis, vniuersim secundum rationem nostram, priores sunt actus necessarii, quam liberi; adeoque amor Dei erga seipsum prior est, quam amor liber creaturarum. Est communis, & extra controuersiam: quia in omni genere rerum, ens necessarium prius est, quam contingens seu liberum, ut superius etiam de scientia diuina dictum.

10 Assertio II. Inter actus necessarios diuinae voluntatis, prior secundum rationem nostram est, amor Dei erga seipsum, quam amor creaturarum secundum esse possibile. Est itidem extra controuersiam. Ratio est. Quia Deus est ratio volendi creaturas, ut paulo superius dictum. Prius ergo secundum rationem Deus vult seipsum, quam creaturas, quomodo cunque spectentur.

Assertio III. Inter actus liberos diuinae voluntatis, generatim loquendo, talis ordo constituendus est, seruata debita proportione, qualis cernitur in consultatione humana rectè ordinata. Ita Scotus in 3. dist. 7. q. 3. & dist. 19. q. 1. & ex communi approbat Vasquez hic disp. 82. cap. 4. num. 13. nemine dissentiente. Ratio est. Quia de diuinis rebus vniuersim loqui & sentire debemus, iuxta proportionem & analogiam rerum creaturarum. Cum ergo actus liberi diuinae voluntatis, processum quandam consultationis contineant, hoc ipso, quod alius habet rationem intentionis, alius electionis, &c. rectè generatim loquendo, in ijs talem ordinem secundum rationem nostram statuimus, qualis in consultatione humanae processu bene ordinato re ipsa seruatur; modo, ut dixi debita proportio seruetur, & aequalia cum aequalibus conferantur.

11 Assertio IV. Omnis ordo eorundem actuum liberorum in Deo, constituendus est, ac desumendus ex ipsorum obiectorum inter se subordinatione, secundum ordinem aliquem causalitatis

aut dependentiae; ita ut quae obiecta habent inter se ordinem causalitatis, siue dependentiae; eaque quoque in diuinae consultationis processu, seu actibus diuinae voluntatis rationis ordinem constituent. Ita ex communi omnium, tradunt Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 5. sect. 1. Gregorius de Valentia hic q. 19. p. 5. Vasquez disp. 82. cap. 5. n. 16. Neque potest negari a quoquam, nisi qui ordinem in diuinae voluntatis actibus penitus auferat. Ratio est. Quia actus diuinae voluntatis dupliciter spectari possunt; primò secundum se, suamque entitatem; siue, quod idem est, ex parte subiecti: secundò ex parte obiecti; priori modo nulla est in ijs pluralitas, nec pluralitatis seu distinctionis ratio; cum omnes illi actus ratione plures, sint, vna simplicissima entitas in Deo: Ergo desumi debet ordo actuum diuinae voluntatis ex obiectis; non utcunque materialiter diuersis; quia sola diuersitas obiectorum, ut esse potest sine subordinatione; ita etiam per se sola non potest esse fundamentum & ratio ordinis, in actibus diuinae voluntatis constituendi. Ergo desumi debet ex obiectis; quatenus inter se aliquo modo subordinata sunt.

12 Cum verò hæc subordinatio, ex parte obiectorum triplex esse possit, prima secundum ordinem dignitatis; secunda secundum ordinem durationis & temporis; tertia secundum ordinem causalitatis & dependentiae: prima & secunda per se ad propositum nihil faciunt: potest enim DEVS suo arbitratu, etiam priora ordine dignitatis & temporis referre ad aliquod posterius eodem ordine; tanquam ad finem; ita ut id, quod dignitate & tempore posterius est, prius tamen sit in diuina intentione. Ergo ordo actuum diuinae voluntatis constituendus est ex obiectorum inter se subordinatione, secundum rationem causalitatis & dependentiae: siue hunc ordinem causalitatis & dependentiae res sua natura habeat; siue ex sola ordinatione libera Dei, ut dicitur assert. 10. et si contrarium doceat Vasquez disp. 82. cap. 6.

13 Assertio V. Duo igitur requiruntur, & sufficient, ut inter actus liberos diuinae voluntatis ordo prioritatis secundum rationem constituatur, Primum, ut eiusmodi actus respondeant & æquivalent pluribus actibus creatæ voluntatis, circa obiecta similia versantibus; secundo, ut obiecta eorundem actuum habeant inter se subordinationem & ordinem aliquem causalitatis siue dependentiae. Ita supponunt citati auctores ex communi. Ratio est. Quia ut sit ordo prioritatis in actibus diuinae voluntatis, requiritur primò eorundem pluralitas secundum rationem; quæ aliunde desumi non potest, nisi ex eo, quod quæuis actus illi a parte rei sint vna simplicissima entitas, æquivalent tamen pluribus actibus creatis re distinctis, circa eadem, aut similia obiecta versantibus. Secundo requiritur fundamentum & ratio proxima ordinis constituendi; ea vero ratio est subordinatio obiectorum, secundum ordinem aliquem causalitatis, siue dependentiae: Ergo hæc duo & necessaria sunt ad ordinem in actibus liberis diuinae voluntatis constituendum, & ad hoc etiam sufficient; cum nulla ratio esse possit, cur plus

plus requiratur; quando ex his duobus & habetur pluralitas actuum quam ordo supponit; & ratio ac fundamentum proximum ordinis: ex quo immediate ordo ille rationis inter eosdem actus consequitur.

14 **Assertio VI.** In processu ordinata cuiusque consultationis, duplex est ordo constituendus; vnus intentionis, alter executionis: qui modo contrario ita inter se comparantur, vt quod est primum in intentione, sit vltimum in executione; & contra. Ita Suarez, Vasquez locis cit. ex comuni & excepta etiam apud Ethicos regula. Probat & declaratur. Quia ordine intentionis prius volumus finem, quam media; & in medijs prius illud, quod est propinquius fini, quam id quod est a fine remotius: e contrario vero ordine executionis, prius volumus media, quam finem; v. g. in consultatione aegri de sanitate consequenda, & procuranda, secundum ordinem intentionis, prius expetitur sanitas: deinde media sanitatis consequenda, & in his prius medicina composita & iam preparata, quam rudis & indigesta materia simplicium. Ordine vero executionis, prius expetuntur & conquiruntur simplicia, puta herbae, ligna, lapides, &c. deinde componuntur, & commiscentur debito inter se modo conquisitam simplicia; tandem sumitur preparatum pharmacum, & sanitas comparatur.

Vbi etiam notandum, causam efficientem, vt sic, comparari ad effectum, tanquam medium ad finem; ac proinde prius hac ratione in intentione esse effectum, quam causam efficientem, saltem quae talis est, & secundum suam efficientiam; non tamen ita comparari subiectum ad formam accidentalem, quae ipsi subiecto inhaeret; cum potius se habeat subiectum per modum finis cui, respectu accidentis; quod proinde ordine intentionis nequaquam prius esse volitum potest, quam subiectum, vt pluribus Vasquez d. 82. c. 5. Secus se res habet cum meritis & praemio; quod reuera finis rationem habet respectu accipientis praemium; prius proinde secundum intentionis ordinem volitum non ab ipso solum, sed etiam a Deo conferente praemium, vt dicitur disp. seq.

15 **Assertio VII.** In medijs ad finem ordinatis, vt quaedam prius ratione dicantur a Deo volita, non est attendendus ordo propinquitatis ad finem, secundum rationem entitatis, aut dignitatis; sed secundum rationem efficaciae & causalitatis, per quam vnus medium propius & immediatius conducit ad finem, quam alterum. Ita Caietanus, & Thomista omnes in 3. p. q. 1. a. 3. Vasquez hic d. 82. c. 4. n. 13. & communis Doctorum sententia; etiam in contrarium citetur Scotus in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. 1. Ratio sumitur ex dictis: quia totus ordo intentionis fundatur in ordine causalitatis, non dignitatis, vt antea dictum: esto in rebus quidem naturalibus, vt plurimum, ea quae sunt digniora, immediatius & propinquius conducant ad finem naturalem, quam minus digna: quod tamen est per accidens, neque etiam vniuersale; quia potest margarita aliqua siue gemma, cum integra est, ratione suae figurae, quantitatis &c. multo pretiosior esse, quam cum est in puluere contusa, ac ad medicinam preparata; cum tamen hac ratione propius ad finem sanitatis conducat.

16 **Assertio VIII.** Aliunde tamen fieri potest, vt

quod vno quodam respectu & habitudine ad certum finem, est posterius intentione, quia remotius videlicet conducit ad eundem finem; nihilominus tamen alia quadam ratione & habitudine ad eundem, aut alium superiorem finem, sit secundum ordinem intentionis simpliciter prius; vtpote propius conducens ad eiusmodi finem. Hanc assertionem nemo negare potest, qui sensum eius perceperit. Probat & declaratur. Quia saepe fit, vt aliquid duobus modis conducatur ad eundem finem; primo mediante altero, ad quod suo etiam modo ordinatur; secundo absque tali medio, & quidem principalius etiam, quam alterum illud, ad quod ex parte ordinatur; sed quod vicissim etiam ad ipsum magis principaliter ordinatur. Item fieri potest, vt aliquid ordinetur ad duos fines, quorum vnus sit altero excellentior; & vt ad finem quidem minus nobile remotius conducatur, ad alium tamen finem digniorem & excellentiorem alia ratione immediatius ac propinquius conducatur, quam aliud, cum quo comparatur: quo utroque casu utique, cum & finis nobilior, sit principalius intentus quam ignobilior; cumque id, quod ad eundem finem absolute principalius & immediatius confert, simpliciter & absolute prius sit in intentione, sit, vt vnus & idem secundum rationem causalitatis, qua conducit ad finem ignobiliorem, vel ad eundem finem, altero mediante sit posterius intentum; simpliciter tamen, & quatenus simul alia ratione ad finem nobiliorem vel etiam ad eundem immediatius aut principalius conducit, sit prius, aut certe non posterius secundum intentionis ordinem.

Huius rei assigno exemplum quadruplex, naturale, politicum, Ecclesiasticum siue morale, & supernaturale. Exemplum naturale est hoc. Constat caelum ratione sui luminis, ac motus ordinari ad res & actiones inferiores conseruandas, promouendas, & fouendas; res autem has inferiores, etiam animantia bruta, ac bestiolas omnes, ordinari ad hominem, hominem vero ordinari, vt Deo fruatur, eumque collaudet & glorificet, &c. In quo processu, quia caelum remotius conducit ad finem postremum, qui est honor Dei, dici potest, ordine intentionis secundum quid posterius esse volitum, quam res creatae inferiores, ad quas ordinatur. Nihilominus tamen quia caelum & hominem ipsum etiam immediate suo influxu fouet, & velut praecipua, nobilissimaque pars vniuersi, artificis sapientiam & potentiam per se etiam, & abstrahendo a rebus alijs inferioribus, mirifice commendat, nemo dixerit, caelum simpliciter posterius esse in intentione diuina, quam elementa caetera, vel fruges terrae, aut bestiolas minimas, quae ex putredine solis lumine producantur: imo vero caelum, secundum ordinem intentionis, prius fuisse in intentione diuina quam res inferiores, praeter hominem, multo verius dicitur.

Politicum exemplum est. Habet aliquis, qui sibi diuitias pro fine constituit, gemmam pretiosissimam, centum millibus v. g. aureorum aestimatam, quam quia pellit vertiginem, aut lassitudinem circumfert ea mente, vt impedita vertigine vel lassitudine, iter ac professionem vnus diei peragere

possit

possit, ad mille ducatos eo die comparandos ac lucrandos. In quo processu servatur ordo intentionis, ut primū in intentione sit lucrum mille ducatorum. 2. labor profectiois immediate ad eum finem conducens. 3. depulsio vel prohibitio vertiginis seu lassitudinis. 4. gemā gestatio. Vbi licet gemā sit postremum eo ordine intentionis, respectu eius lucri à possessore comparandi; nemo tamen dixerit, in hoc homine, qui sibi diuitias pro fine suarum actionum constituit, gemmam esse simpliciter postremam secundum intentionem; adeoque posteriorem absolute volitam, quam profectioem, aut lucrum mille aureorum; quia etsi vno quodā modo remotius ad finem conducatur; alio tamen modo excellentius & immediatius ad eundem finem confert, quam profectio, ut patet.

19

Exemplum morale & Ecclesiasticum est. Apostolorum enim & Pastorum, ac Doctorum in Ecclesia officium à Deo ordinatur ad salutem spirituales ipsius Ecclesie, ac singulorum hominum, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt, sine Paulus, sine Apello, sine Cephas, sine mundus, sine vita, &c. omnia enim vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei:* Quo processu, in diuina intentione prior est Ecclesie & singulorum salus spiritualis, quam Apostolorum aut Præfulum officium: & tamen nemo ideo dixerit, absolute ac simpliciter prius in diuina intentione volitam fuisse salutem singulorum in Ecclesia, quam ipsos Apostolos, eorumque salutem ac beatitudinem.

Exemplum Theologicum est. Christus enim venit in mundum, ut peccatores saluos faceret; quod fit exterius, per institutionem sacramentorum, ac mediante prædicatione Christi, Apostolorum, & Pastorum Ecclesie; interius verò diuine gratie inspiratione ac illuminatione mouente ac prælucente; donorumque fidei & virtutum communicatione ac infusione; &c. In quo processu, ordine intentionis posteriorem quidem omnino volitam est Incarnatio Christi, ipsumque Verbum incarnatum, quam salutem hominum, & conuersio peccatorum: & tamen hoc non obstante, quia Christus simul per seipsum immediatius, ac principalis conducit ad supremum finem glorie diuine, rectissime dicitur, ut suo loco de Incarnatione, Deo bene fauente ex instituto docebimus, simpliciter & absolute loquendo, secundum ordinem intentionis, prius in diuina voluntate fuisse, Christum hominem velut caput omnis creaturæ, quam Angelos, cæterosque omnes homines; nec tamen ideo venturum, si homo non peccasset, ut etiā inferius d. seq. q. 5. dub. 7. dicemus.

20

Assertio IX Sicut ordo intentionis non tantum locum habet in actibus internis voluntatis, sed etiam in actibus externis executionis; ita etiam ordo executionis, non tantū cernitur, & locum habet in actibus externis, sed etiam in ipsa voluntate interiori, eiusque actibus: ita ut ipsa etiam voluntas si quis quædam prior esse possit, ordine intentionis; alia posterior ordine executionis; quod quidem supposita priori illa voluntate, & intentione finis omnino etiam necessarium est, tunc, quando in executionis processu, post omnia media cetera iam adhibita, ad finem denique re ipsa acquiren-

rendum, necessaria est peculiaris & spontanea acceptatio, seu applicatio finis, sibi, aut alijs facienda.

Hæc assertio est ex mente S. Augustini, S. Thomæ, & aliorum, qui defendunt prædestinationem ante præuisionem meritorum, ut dicitur disputat. sequent. quæst. 5. expresse autem traditur à Bellarmino lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 14. & Suarez hic lib. 1. cap. 8. numero 50. & lib. 3. de auxili. cap. 18. n. 4. aliisque recentioribus eiusdem sententiae asseclis, ibidem referendis: est tamen contra Vasquium in 1. p. d. 89. cap. 7. à n. 52. qui cum admittat quidem duplicem ordinem, intentionis vnum, executionis alterum; existimat tamē, non posse vtrumque constitui in mente artificis aut operantis, sed alterum in mente & consultatione illius, alterum vero in re ipsa: quem sequuntur recentiores quidam Theologi, qui putant, doctrinam illam esse nouam; & solum effugij causa, ad defendendam prædestinationem ante præuisionem merita, excogitatum fuisse duplicem illum, processum intentionis & executionis in mente ac voluntate diuina, duplicemque voluntatem, quæ Deus habuit, circa salutem & gloriam prædestinationis conferendam: vnam ad ordinem intentionis, alteram ad executionem spectantem.

21

Sed abstrahendo iam à particulari materia prædestinationis, de qua d. sequenti, quæst. 5. dub. 4. & 5. ex instituto agendum; res est indefinite ac generatim loquendo, in omni ordinata consultatione, certissima & liquidissima, vt ex probatione singularum partium constabit. Primò enim ordinem intentionis etiam cerni, & locum habere in actibus externis executionis; ita nimirum, vt ad ipsos etiam actus externos, veluti obiecta internorum actuum, & saltem denominatione se extendat, apud omnes constat, & patet ex vulgato illo dicto; *Quod primum est in intentione, vltimum est in executione,* & è contrario: in quo supponitur eisdem actus & obiecta spectare simul ad ordinem executionis, & intentionis. Exemplum etiam huius rei ab omnibus communiter adfertur, in sanitatis procuranda studio; vbi tum ipsa sanitatis recuperatio, tum etiam media externa sanitatis acquirendæ, alia alijs priora, aut posteriora in intentione seu ordine intentionis esse dicuntur; ita quidē vt non solum ipsa voluntas sanitatis; sed etiā actualis ipsa recuperatio ac effectio sanitatis, prout est à parte rei, secundum ordinem intentionis, prior esse dicatur, quæ executio proximi medij; & hæc ipsa executio, prior secundum eundem ordinem intentionis, executione remotioris medij; tametsi rursus secundum ordinem executionis ea omnia contrario modo se habeant.

22

Secunda pars, ordinem executionis etiam cerni & locum habere in actibus internis voluntatis, ita vt vnus altero hoc ordine prior esse recte dicatur: patet ex præcedenti parte, & probatione eiusdem; vbi dictum, ordinem intentionis & executionis circa eandem materiam versari. Quare etiam recte dicimus, voluntatē mediolorum ordine executionis priorem esse voluntatē finis. Quibus accedit hæc manifesta ratio. Quia ipsi actus externi executionis, sunt etiam voliti, & quidem eo ipso

ordine.

ordinae, quem ipsi in executione inter se habent: neque enim qui sanitatis procurandæ studio, media varia adhibet, puta simplicia primum conquirat, deinde ea inter se componit & temperat, denique sumit & applicat, &c. id facit absque voluntate interiori; sed potius hæc omnia ad finem re ipsa consequendum, deliberatè & certo consilio, eodem ordine vult facere, quo re ipsa postea facit: Ergo sicut ordine executionis prius adhibet media remotiora à fine; ita etiam eodem ordine, prius vult ea adhibere, &c. ac proinde ordo executionis non tantum cernitur in ipsis actibus executionis, sed etiam in actibus internis, seu decretis ordinatæ consultationis, tam humanæ, quam diuinæ mentis.

23 Tertia pars, ipsam etiam voluntatē finis duplicem esse posse, vnam priorem ad intentionis, alteram posteriorem ad executionis ordinē spectantem, si quidē solum de possibili loquamur, manifesta est, in omni consultatione. Nihil enim obstante primā intentione finis, quæ omnē mediōrū applicationem re ipsa sæpe, non solo intentionis & causalitatis ordine antecedit, eaq; adeo etiā supposita, fieri, vtiq; potest, vt post omnia etiā media adhibita, velimus & acceptemus aut etiā optemus finem, puta sanitatem, ex adhibitis iam medijs; brauium seu præmium ex peracto iam certamine; quæ voluntas nō minus ordine causalitatis, quā temporis à prima finis voluntate, & intentione vtiq; diuersa, eademque posterior est: & quia ad plenam finis consecutionem ordinatur, aut certe ipsi executioni subordinatur, restat ad executionis ordinem spectare dicitur; esto quidem talis voluntas non semper, ac in omni materia seu processu ordinatæ deliberationis sit necessaria, vt mox dicetur.

24 Quarta pars, eiusmodi voluntatem finis, ordine executionis posteriorē primā finis intentione, ab eaq; distinctā, necessariam etiam esse, tunc, quando in executionis processu, supposita illā priori voluntate & intentione finis, post omnia media cætera iam adhibita, ad finem deniq; re ipsa consequendum, necessaria est peculiaris & spontanea acceptatio vel applicatio finis, sibi, aut alijs facienda, ita probatur & declaratur. Quia duplex esse potest finis; vnus merè naturalis, & naturalibus medijs consequendus, qualis est sanitas; quæ adhibitis medijs naturalibus ac debitis, absque ulla alia voluntaria acceptatione vel applicatione, sponte sua ac necessariò consequitur, ad quā proinde, post omnia debita media adhibita, non est necessaria peculiaris voluntas, ad executionem pertinens, quæ in eundem finem feratur; etsi possibilis sit, vt antea dictū, & sæpe re ipsa interueniat.

25 Alius finis est moralis, atq; à voluntate dependens; qualis est v. g. brauium seu præmium in certamine acquirendum, hæreditas voluntate aduenda, & similes alij, in quibus etiam supposita prima finis intentione, quam habet v. g. pugil, dum ob brauium certamen suscipit; aut hæres, dum precibus aut officijs pinguem hæreditatem ambit; etiam post omnia eiusmodi media finis consequendi iam adhibita, in ordine ad finem optatum, re ipsa deniq; consequendū; necessaria est

peculiaris & spontanea acceptatio, vel applicatio finis sibi (aut etiam alijs) facienda: in quo sane casu, cum acceptatio hæc, siue applicatio, vt potest voluntaria fieri non possit, absque noua voluntate finem acceptante seu applicante, quæ voluntas vtiq; ad executionis ordinem pertinet, manifestum est, ad finis huius actualem consecutionem, præter primam finis intentionem, quam præcessisse diximus & supposuimus, adhuc necessariam esse aliam voluntatem finis, ordine executionis posteriorem, atque à primā distinctam, sine qua finis obtineri non potest. Id quod proinde in omni omnino materia finis alicuius moralis, atque à libera voluntate finem conferentis, dependentis, fieri potest; si finem liberè conferens, hanc conditionem requirat, vt nemo finem etiam alijs medijs adhibitis, consequatur, nisi qui finem sponte denique acceptet, sibi que applicet, &c. Idem est, si is ipse, qui finem alijs consequendum proposuit, supposita prima finis intentione, noluit in executione finem alijs re ipsa obtinere, absque peculiari sua voluntate, finem alijs re ipsa applicante & conferente.

26 Ex quibus etiam soluitur illa obiectio Vāsquij disp. 89. cap. 7. num. 58. vbi ex eo etiam probat, ordinem executionis non habere locum in ipsa mente, seu actibus internis artificis; quia nunquam solemus dicere, aliquem ideo voluisse talem finem, quia media præuidit; sed solum è contrario, ideo talia elegit media, quia voluit finem: possemus verò etiam priori modo loqui; si ordo executionis, quo prius ferimur in media, quam in finem, in ipsa etiam mente artificis locū haberet.

Respondeo primum, antecedens pugnare cum ipso Vāsquij, & eius sententia, de prædestinatione ad gloriam: post præuisa media in qua sententia, necessario dicendum est, Deum ideo voluisse efficaciter gloriam, quæ est finis, quia præuidit media.

Respondeo secundò, discrimen esse inter fines; quorundam enim consecutio post primam intentionem, & media consequenter adhibita, non requirit aliam peculiarem voluntatem applicantem ipsum finem ex præuisis medijs, qualis est etiam consecutio sanitatis; & in his, quia non est necessaria peculiaris aliqua voluntas finis executiua, dici non solet, ideo aliquem velle finem, quia præuidit media: at verò in nostro casu, id rectissime dicitur, v. g. Principem voluisse conferre brauium huic pugili, ob conspectam victoriam; Iudicem huic consignasse ius hæreditatis, ob præuisa & prius explorata merita causa: item pugilem ipsum voluisse voluntate executiua petere, acceptare, & consequi brauium, quia vicit: hæredem voluisse petere & accipere hæreditatem, quia officijs à testatore promeritus est, vt hæres scriberetur. Quanquam in hac ipsa etiam re, ne æquiocationi sit locus, non plane absolute, sed cum aliqua particula significante voluntatem, executiuam loqui conuenit.

27 An vero particulatim de prædestinatione diuina loquendo, Deus habuerit eiusmodi voluntatē finis, ordine intentionis priorē, qua voluerit nobis beatitudinem, ante præuisionem meritōrum; quā proinde supposita necessario admittenda sit

in Deo

in Deo alia voluntas ratione distincta ac posterior ad executionis ordinem pertinet, an potius prior illa finis seu gloriæ intentio, sine præuisione meritorum in Deo non detur, sequenti disput. de prædestinatione q. 5. dub. 4. & 5. explicandum erit. Hic satis sit, quasi fundamenti loco constituisse, si in Deo detur prior illa finis nostri intentio, ante præuisionem meritorum, necessario admittendam in Deo esse aliam ratione distincta ac posteriorem voluntatem, ad executionis ordinem spectantem, qua Deus re ipsa voluerit, ob præuisionem & comparata iam merita, nobis eandem gloriam re ipsa conferre & applicare; quod ex dictis evidens est; quandoquidem constat, Deum non voluisse gloriam cuiquam re ipsa obtingere, absque sua quasi applicatione libera & spontanea, per euocationem illam & acclamationem felicissimam, *Venite benedicti, &c. Esurui enim, &c.* aliove modo æquivalente faciendo, &c.

28 **Assertio X.** Præter duplicem ordinem intentionis, & executionis hæcenus explicatum, assignandus est etiam in mente, tam humana, quam diuina, tertius ordo cuiusdam independentiæ; siue secundum subsistendi consequentiam; quo modo prius illud volumus, quod plane independentem volumus ab altero; ita ut etiam si alterum non esset, adhuc illud vellemus: non autem prius, quod dependentem ab altero volumus; esto illud alioqui sit finis, hoc mediū; illudque adeo ordine intentionis prius, hoc posterius volitum. Ita Caietanus 3. p. q. 1. a. 3. idemque ex instituto persequitur Albertinus tom. 1. 6. princip. philos. coroll. 1. Probatur & declaratur. Quia sæpe accidit, etiam secundum ordinatam voluntatem, ut finem non velimus, nisi per vnum aliquod certum medium, adeoque dependentem ab illo; v. g. sanitatem per pharmaca, absque tetra sectione, vitione, &c. Quo casu, tamen si nihilominus finis ordine intentionis prius sit volitus, quam designatum medium; non tamen ordine independentiæ, seu quoad subsistendi consequentiam; cum potius hoc ordine simul vtrumque, finis scilicet & medium illud, simul sit volitum. Ex quo fundamento suo loco cum Caietano loc. cit. nos etiam docebimus, Christum quidem, seu vnionem hypostaticam, ordine intentionis prius à Deo fuisse volitam, quam Redemptionem humanam, ac liberationem à peccato, seu ipsam permissionem peccati; & nihilominus tamen Incarnationem futuram non fuisse, si homo non peccasset, ut habet S. Thomæ sententia.

Atque hæc generatim, quasi fundamenti cuiusdam loco, de ordine actuum diuinæ voluntatis, seu varijs instantibus & signis rationis in eadem diuina voluntate, dicta sunt; ex quibus suis locis, vbi opus erit, propria & specialia corollaria deducemus.

29 Ex quibus etiam colligi potest primò, quid tam in genere, quam in specie de ordine actuum diuinæ voluntatis, quem alij assignant, iudicandum sit: speciatim verò ex dictis facile refellitur ordo, quem Caietanus in 3. p. q. 1. a. 3. assignat; vbi tres constituit ordines rerum in Dei decreto; primum naturæ; secundum gratiæ, & tertium vnionis hy-

postaticæ; cum tamen neque ordo naturæ sit finis gratiæ; neque gratia vniuersim sit finis vnionis hypostaticæ; & multa sæpe ordinis naturæ ad ordinem gratiæ extrinsece pertineant, & referantur; & è contrario multa ordinis naturæ, vt tantus piscium aut bestiarum numerus, per se nullam habeant connexionem cum ordine gratiæ; & peccata quædam, quæ ad ordinem naturæ pertinere dicuntur, supponant vnionem hypostaticam, vt peccatū crucifigentium Christum, &c. cuius proinde permissionem impossibile est à Deo fuisse decretam, ante vnionem hypostaticam. Sed de hæc re, plura de Incarnatione suo loco, & non nihil disp. seq. quæst. 1. dub. 4. & 5.

Secundo colligitur, quænam sit ipsorum actuum intellectus & voluntatis diuinæ inter se subordinatio; supposito hoc certo & ab omnibus recepto fundamento, quod ante quemlibet actum voluntatis, præcedat actus aliquis intellectus, qui eidem actui voluntatis obiectum proponat; quandoquidem nihil est volitum, nisi prius ab intellectu cognitum. Et igitur hic ordo 1. est scientia naturalis, qua Deus seipsum comprehensiuè cognoscit. 2. amor naturalis ac necessarius erga seipsum. 3. scientia naturalis, tam speculatiua, quam practica creaturarum, secundum esse possibile. 4. amor seu affectus simplicis complacentiæ itidè naturalis ac necessarius erga easdem creaturas. 5. scientia media, seu conditionata futurorum contingentium. 6. liberum decretum voluntatis de rebus his & non alijs; hoc ordine & modo, non alio faciendis: in quibus tamen rursus varius ordo cernitur, secundum quem res quædam prius, quam aliæ à Deo decretæ sunt, vt ex dictis liquet, & suo loco de prædestinatione & Incarnatione sigillatim dicetur. Post quæ denique sequitur. 7. libera & absoluta scientia futurorum; in qua, seruata proportione, idem actuum ordo locum habet, qui in ipsis decretis liberis respectu diuersorum obiectorum reperitur; quandoquidem singulis decretis liberis scientia etiam libera subsequens eodem ordine respondet.

#### DVBIVM VI.

*An voluntas Dei necessitatem quibusdam rebus volutis imponat; & quænam in effectibus creatis sit radix contingentie.*

S. Thomas 1. p. q. 19. a. 8.

EX hîc certum est, diuinam voluntatem quibusdam quidè rebus volutis necessitate imponere, non tamè omnibus, vt docet S. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. & consentiunt omnes Doctores; quidquid Ethnici illi, & hæretici dixerint, quod liberum arbitrium penitus sustulerunt, refutati superius q. 8. dub. 1. Ratio est. Quia alioqui periret liberum arbitrium, & consilium, legumque humanarum vis & auctoritas. Præterquam quod in effectibus etiam naturalibus, quædam cernimus fieri contingenter & non necessario: vt hoc, vel illo sydere, aut astrorum concursu, pluuiam, serenitatem, &c.

Quia

quia nimirum causæ illæ naturales, licet per se ad vnum sint determinatæ, impediri tamen possunt ab alijs causis.

Secundò certum est, atque inter omnes etiam conuenit, ea fieri necessariò, quibus producendis vel efficiendis Deus aptauit & præparauit causas necessarias; quæ nimirum & sua natura ad vnum sunt determinatæ; & in agendo respectu talium effectuum, deficere non possunt. Quales sunt V. G. solem lucere, sidera moueri, diem, annum, & varia anni tempora esse &c. Nam etiam si vi par est, cum Aristotele supponatur, cœlum, & sidera ab Intelligentijs seu Angelis moueri, mouentur tamen ab ipsis, velut agentibus naturalibus, adeo vt in ea re agendo deficere non possint.

E contrario verò, etiam supposita diuina voluntate, non necessariò (absoluta scilicet necessitate,) sed contingenter, aut libere sunt ea, quibus efficiendis Deus destinauit causas secundas liberas; vel necessarias quidem ex se, sed defectibiles tamen; quæ videlicet respectu talium effectuum ab alijs causis secundis impediri possunt. Quales sunt, tum actiones Angelorum & hominum; non omnes, sed quæ ab ijs velut libere agentibus procedunt; tum varia temporis mutatio, secundum serenitatem aeris, vel pluuiam; tranquillitatem, vel turbationem; fertilitatem terræ, aut sterilitatem; & alia pleraque huius mundi effecta, quæ respectu causarum superiorum, aut particularium, puta huius vel illius dispositionis astrorum, dicuntur contingentia, ac reipso contingenter eueniunt: quia tametsi altra ex se ad certum quidem ex his effectibus aliquem determinate, & quantum est ex se, necessariò inclinent; quia tamen ex dispositione varia causarum secundarum impediri possunt, non necessariò absolute, sed contingenter eueniunt: quod seruata proportionem, etiam alijs causis contingentibus applicandum est: esto interim effectus naturales, saltim plerique, ratione & comparatione omnium causarum naturalium simul sumptarum, seu respectu combinationis omnium causarum naturalium, tam superiorum, quam inferiorum, quatenus secundum se præcisè spectantur, & vt abstrahunt à subordinatione, quam habent ad liberum arbitrium, siue creatum, siue increatum, necessariò eueniant: quia supposita tali astrorum dispositione, cum tali aeris, terræ, aliarumque causarum secundarum affectione, non potest non esse pluuia, &c. vt dictum etiam superius quæst. 8. dub. 5.

His tanquam certis suppositis, controversia est, quenam sit prima radix & causa contingentia, quæ in rebus creatis cernitur. De qua re sunt tres sententiæ. Prima est, quam refert S. Thomas hic cit. quæst. 19. artic. 8. eorum, qui rationem huius rei assignant ex causis medijs; quia ea, quæ Deus producit per causas necessarias, sunt necessaria; ea verò quæ producit per causas contingentes sunt contingentia. Quia in re Vasquez hic disp. 99. c. 7. n. 46. excellimat, notari sententiam, quam tradunt Alensis. 1. p. quæst. 26. mem. 7. artic. 2. ad 1. & Bonauentura in 1. dist. 40. art. 2. q. 1.

Tom. I.

Secunda sententia est S. Thomæ, Caietani, & Thomistarum ibidem; Gregorij de Valentia quæst. 19. p. 6. qui reiecta & refutata opinione priori, causam primariam ac radicem contingentia esse docent, ipsammet voluntatis diuinæ efficaciam; à qua non res ipsa tantum, sed etiam modus rerum dependet: quæque has potius, quam alias causas secundas, his, vel illis rebus producendis, & quibuslibet causis ex sua parte debitum ac proportionatum concursum destinauit.

Tertia sententia est Scoti in 1. dist. 8. quæst. 2. & dist. 39. quæst. vnic. qui docet quidem, radicem contingentia esse voluntatem diuinam: attamen non sub prædicta ratione efficaciam, sed propriam ac intrinsicam libertatis, quæ seclusa, putat, contingentiam rerum stare non posse. Quare addit, Philosophos, qui dixerunt, primam causam necessariò agere; & tamen admiserunt contingentiam in quibusdam rebus, contraria docuisse. Idem cum Scoto sentiunt communiter Sectatores Scoti apud Cordubam lib. 1. quæst. 55. dub. 8. & quidam ex modernis Thomistis, vt ait Suarez disp. methaph. 19.

Assertio I. Prima causa & radix contingentia ac necessitatis, quæ cernitur in rebus creatis, non sunt causæ mediæ siue secundæ, contingentes aut necessaria; sed ipsè Deus, seu voluntas diuina, tanquam causa prima. Ita S. Thomas, Scotus, Caietanus, Gregorius de Valentia, locis cit. & communis Doctorum. Probatum duabus rationibus S. Thomæ. Prima. Quia diuina voluntas est causa prima, non impedibilis ob defectum vllius causæ secundæ: Ergo diuina voluntas non habet effectum contingentem, vltimatè, propter causam secundam. Probatum consequentia. Quia effectus alicuius primæ causæ (si quidem ipsa per se non est radix contingentia,) est contingens, propter defectum aut actionem causæ secundæ; quia nimirum effectus primæ causæ impeditur per defectum secundæ; vt patet de sole & pluua, respectu fertilitatis.

Secunda ratio. Si ratio prima & vltimata contingentia essent causæ secundæ, non ipsa diuina voluntas, tanquam causa prima, tunc sequeretur, modum contingentia, qui cernitur in rebus, non esse volitum à Deo, nec proficisci à voluntate diuina, sed esse præter intentionem & voluntatem diuinam: si enim esset à voluntate diuina, iam hoc ipso diuina voluntas esset prima radix contingentia, non ipsa causæ secundæ: at verò consequens est absurdum: quia modus contingentia & necessitatis, qui in rebus cernitur, per se spectat ad perfectionem vniuersi; ac proinde per se intentus esse debet ab authore vniuersi.

Denique vno verbo; Res omnes, tam secundum suam substantiam, quam modum contingentia, aut necessitatis, principaliter & vltimatè pendunt à diuina voluntate, non à causis secundis: Ergo prima radix & causa contingentia ac necessitatis, quæ est in rebus creatis, non est diuersitas, seu propria ratio causarum secundarum, sed ipsa diuina voluntas, tanquam causa prima.

Aa

Atque

Atque hoc ergo sensu, non male primam illam opinionem superius relatam, cuiuscumq; demum illa sit, reiecit S. Thomas loco citato, immerito proinde reiectus à Vasquez disput. 99. capit. 7. numero 46.

Assertio II. Causa tamen modice, siue secunda, necessaria, vel contingens, sunt ratio & causa necessitatis vel contingentia, proxima & secundaria. Hanc assertionem agnoscunt S. Thomas, & Scotus locis cit. & aperte Caietanus hic quæst. 19. cit. artic. 8. Gregorius de Valentia quæst. 19. pun. 6. Molina quæst. 14. artic. 13. disp. 11. Vasquez cit. disput. 99. capit. 7. numero 47. & alij. Probatur. Tum quia causæ secundæ, sicuti sunt proxima & secundaria causa rerum secundum substantiam; ita etiam quoad modum necessitatis vel contingentia. Tum quia vniuersim verum est, ea esse contingentia quæ habent causas secundas contingentes, & necessaria verò, quæ habent causas necessarias. Denique si causæ secundæ essent ita constitutæ, prout nunc sunt, & simul per impossibile Deus nullam exerceret causalitatem in rebus creatis, adhuc tamen maneret modus necessitatis, aut contingentia in rebus.

6 Obijcies. Si contingentia sunt, quæ à causis secundis contingentibus, siue liberis fiunt; ergo etiam quæ à Deo immediate facta sunt, erunt effectus contingentes, adeoque entia contingentia: quia & hæc à nulla causâ necessaria, sed à solo Deo immediate, & quidem per liberam voluntatem facta sunt. Consequens autem est absurdum; quia sic cælum & elementa omnia, ipsiq; Angeli, ac anima rationalis, essent entia contingentia: quod est absurdum. Et confirmatur sequela primò. Quia si radix contingentia potissima est causa prima; ergo non minus ad contingentiam alicuius effectus sufficere libertas diuinæ voluntatis, tanquam causæ primæ, quam libertas causæ secundæ, quæ sine controversia sufficit. Confirmatur secundò. Quia contingentia sunt, quæ postis etiam causis, possunt esse & non esse: quod de rebus à Deo solo productis verè etiam potest affirmari, hoc ipso, quod à Deo libere, non necessariò procedunt.

7 Respondeo, ens necessarium, prout contingentia opponitur, tribus modis accipi posse; primo strictissime pro eo, quod absolute, & citra ullam hypothèsin, aut conditionem liberam vel contingentem, necessariò existit; seu quod non potest villo modo non esse: & hac ratione solus Deus est ens necessarium, cetera verò omnia contingentia; quia absolute loquendo potuerunt, atque etiamnum possunt non esse, vt rectè etiam probat obiectio, cum secunda confirmatione. Secundò accipi potest strictè pro eo, quod supposita semel actuali existentia, non potest per vllam causam seu potentiam naturalem non esse. Qua ratione entia necessaria sunt omnia & sola entia incorruptibilia, vt cælum, Angeli, anima; contingentia verò omnia corruptibilia. Tertiò accipi potest ens necessarium latè, ex parte significati formalis, restrictè vero ex parte connotati; seu quasi subiecti, pro effectum necessario causæ alicuius secundæ; qui nimirum procedit à causâ neces-

saria; quæ quoad suum illum effectum, nec indifferens aut libera est, nec impediri per alias causas naturaliter potest: contingens autem pro effectum contingentem seu libero causæ secundæ libere, vel contingentis, vt dictum. Et de his contingentibus est hoc loco sermo; in quibus tamen obiectio posita vim nullam habet, vt patet.

Nec refert, quod Deus sit causâ principalis contingentia etiam horum effectuum; nihilominus enim denominationem non habent, nec dicuntur contingentes pro respectum ad solam causam primam, sed secundam; vt rectè etiam norauit Vasquez loco cit.

Ratum sit igitur, causas secundas non esse primam causam & radicem contingentia & necessitatis, quæ cernitur in effectibus creatis; sed diuinam voluntatem, siue Deum ipsum, tanquam causam primam. Quæ etiam est mens S. Thomæ, hic cit. quæst. 19. art. 8. cum ait: *non igitur propterea (vltimate) effectus voluti à Deo eueniunt contingentem, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea, quia Deus voluit eos contingentem euenire, contingentes causas ad eos preparauit.*

Assertio III. Propria & formalis radix contingentia, est diuina voluntas, non quatenus formaliter est libera; sed quatenus est efficax causa rerum; ac speciatim eius subordinationis, ac diuersi modi agendi causarum secundarum necessariarum & contingentium. Ita contra Scotum, & Scotistas cum S. Thomæ loc. cit. docent Caietanus, Bannes, Zimel, alijque Thomistæ hic q. 19. a. 8. Palatius in 1. dist. 38. dub. 2. Gregorius de Valentia q. 19. p. 6. Molina q. 14. a. 13. disp. 11. Suarez Metaph. disp. 19. n. 15. Vasquez hic disp. 100. c. 2. & alij communiter.

Probatur. Quia ad efficaciam seu efficaciam primæ atque vniuersalissimæ causæ, referri debent, non solum res ipsæ, quæ fiunt; sed etiam modi & gradus rerum per se à prima causâ intenti; cum enim prima causa sit efficacissima; imo omnipotens, facit omnia quæ vult, & cum eodem modo, quo vult: sed ratio contingentia & necessitatis sunt modi quidam rerum, per se à Deo veluti prima causâ intenti; quandoquidem per se spectant ad perfectionem vniuersi: Ergo referendi sunt in efficaciam ipsius Dei, seu diuinæ voluntatis, tanquam primæ causæ.

Secundò. Contingentia & necessitas effectuum, in rebus creatis, proximè oritur ex diuersitate & varia conditione ipsarum causarum secundarum, vt dictum assert. 2. quæ proinde vltimate referenda est in eius potentiam, qui eiusmodi causas disposuit: Deus autem suæ voluntatis efficaciam est author & ordinator causarum, quæ ad eiusmodi diuersos gradus rerum tum necessariarum, tum contingentium ordinantur. Ideo enim, inquit S. Thomas, *quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate promouentur; quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes eueniant.* Ergo hæc effectuum diuersitas vltimate referenda est in efficaciam voluntatis diuinæ, tanquam primæ causæ. Vtraque hæc ratio est S. Thomæ cit. q. 19. art. 8.

Quibus

11 Quibus accedit ratio tertia. Quia si per impossibile Deus non esset agens liberum, sed ageret ex necessitate naturæ, eo tamen præcisè modo, eum libero arbitrio, & alijs causis secundis ad effectus contingentes influendo, quo re ipsa nunc liberè influit, adhuc tamen staret libertas & contingencia istorum effectuum, vt rectè docet Thomas quæst. 2. de verit. art. 14. ad 5. & quæst. 5. art. 9. ad 10. & Caietanus hic quæstio. decima nona, articulo octauo. Ergo contingencia effectuum non est referenda in libertatem primæ causæ, sed in eius potentiam & efficaciam. Assumptum probatur. Cum enim plures causæ ad vnum actum concurrunt, vt ille sit liber, satis est, quod causa proxima sit libera seu contingens; si modo simul interim illa per concursum alterius causæ non extrahatur a suo naturali modo agendi: at verò etiam si Deus esset agens necessarium, adhuc tamen, vt supponimus, causæ secundæ essent libere & contingentes, suumque naturalem modum agendi retinerent. Ergo etiam si Deus esset agens necessarium, cæteris interim eodem modo sese habentibus, adhuc staret contingencia effectuum.

12 Atque eodem sensu accipi debet, quod docent Gabriel in 1. d. 38. & Corduba libro 1. quæst. 55. dub. 4. si nulla foret causa (secunda) libera, nullam fore contingenciam, nimirum libertatis; etsi posset esse quædam contingencia naturalis effectus impeditibilis, vt rectè cum Henrico quodlib. 8. quæstio. 4. notauit Vasquez cit. disput. 100. cap. 4. Omitto, quod in ipsis etiam effectibus naturalibus, ad omnes suas causas comparatis, nonnulla quandoque cernitur indifferentia, qua hoc vel illo modo fieri possunt, vt pluribus exemplis probare nititur Molina cit. q. 14. art. 13. disp. 12.

Assertio IV. Duplici tamen alio sensu, institui potest quæstio, in quo iuxta Scoti sententiam, planè admitendum foret, nullam in rebus creatis fore libertatem, si Deus agens liberum non esset: primò si absolute quaratur, an si nulla penitus in Deo esset libertas; adhuc tamen esse posset in aliqua causa secunda: Secundo, si Deus ex necessitate ageret, creatura vero per impossibile haberet facultatem operandi ex sua natura liberam, an non eo casu concursus Dei talis futurus esset, vt planè impediret vsum libertatis: ad vtramque enim quæstionem respondendum est affirmatiuè. Ita Gabriel, Corduba, Bannes, Zumel locis citatis. Suarez num. 5. 6. 7. Vasquez capite 2. Eodemque modo intelligendi sunt SS. Patres, qui ita diuinæ efficacitati libertatem & contingenciam causarum secundarum tribuunt, vt cum ea diuinam etiam sapientiam, & liberam prouidentiam, vel maximè coniungant, vt videre est apud SS. Augustinum libro de prædestinatione & grat. capite decimo quinto, Prosperum ad obiect. Gallorum capite primo & secundo. Cyrillum libro quarto. in Ioannem cap. 7. Damascenum libro 2. de fid. cap. 30.

13 Ratio primæ partis est. Quia cum liberum arbitrium sit perfectio simpliciter simplex, si ea non esset possibilis in Deo, nec possibilis etiam esset in ulla creatura: sicuti si Deus intelligens non esset, nec vlla creatura intelligens esset. Secus se res habet, cum contingencia effectus impeditibilis; quia cum

hæc non sit perfectio simplex, sed potius imperfectio, nihil obstaret, quo minus effectus creatis conuenire posset, etiam si tam illa, quam libertas in Deo nulla esset.

14 Ratio secundæ partis est. Quia si Deus ageret ex necessitate naturæ, ageret quam posset efficacissime; atqui potest sua efficacia operandi impedire libertatem, quicquid recentiores quidam Thomistæ dicant, eam solum impediri posse, per concursum obiecti, de qua re quæstione sequenti, Ergo, &c. Sed neque hoc casu, aut sensu necessariò tolleretur contingencia effectus impeditibilis. Quia etiam si vi diuinæ efficacitatis in agendo, singulæ causæ naturales, quantum est ex se, vel maximè determinatæ forent ad suos effectus, vt etiam nunc sunt; non tamen ideo tolleretur subordinatio & dependentia earundem inter se; qua fieri nihilominus posset, vt effectus & actio vnus v.g. causæ superioris, impediretur per actionem alterius; vt calor solis aestiui per interspirantes ventos, &c. Quod si iuxta hunc duplicem tantummodo sensum locutus fuisset Scotus, vt putat Corduba loc. citato, non male sensisset. Sed reuerà alium fuisse sensum, quem mirum assertione, tertia refutauimus, rectè notarunt Caietanus, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez, Vasquez, & alij, & satis colligitur ex eiusdem Scoti verbis & argumentis, quæ nunc sunt dissoluenda.

15 Primum obijcit Scotus. Causa mouens, in quantum mota, si necessario mouetur, necessario mouet: sed omnis causa secunda est mouens, in quantum mota à prima; quia nulla causa secunda agit aliquid, nisi in virtute primæ: Ergo si causa secunda necessario mouetur, necessario mouet; ac proinde si prima causa non contingenter seu libere causat, nihil in vniuerso contingenter fit.

Respondeo cum Caietano, citata quæstione decima nona articulo octauo, & Molina citata disputatione vndecima, maiorem esse veram, si causa illa, quæ non mouet, nisi mota ab alio, ita ab alia causa moueatur, vt præuio influxu in ipsam causam physicè prædeterminetur ad agendum vel mouendum; seu vt loquitur Caietanus citato articulo octauo, si moueatur *motione præuia propria actioni, vt cum baculus mouetur à manu ad verberandum canem*, &c. falsam autem esse, si non moueatur præuio influxu in ipsam causam, sed solum influxu simultaneo in ipsum effectum seu motum; siue vt loquitur Caietanus ibidem, si solum moueatur *motione cooperatiua intrinsecè propria actioni*; vt accidit, cum causa secunda, præsertim libera, mouetur à prima, vt pluribus dicitur quæst. seq. dub. 1.

16 Secundo obijcit Scotus. Prima causa prius naturaliter respicit effectum, quam quæcunque alia causa: Ergo si necessario causat, omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam; ac proinde nullus effectus sit contingenter: quia non potest vnus & idem effectus re ipsa simul habere habitudinem contingentis & necessarij, etiam respectu diuersarum causarum.

Respondeo, maiorem esse veram, de prioritate, non durationis, aut naturæ, siue causalitatis, sed solum de prioritate dignitatis, & independentiæ; quod ad propositum nihil facit; quando alioqui

causa prima & secunda simul tempore & natura, eodemque influxu, in eundem effectum influunt, vt sentit etiam Caietanus hic, & pluribus contra quorundam recentiorum Thomistarum Philosophiam dicitur cit. quaest. seq. dub. 1.

17 Tercio obijcit Scotus in hunc sensum. Deus solo potest esse causa contingentium effectuum, etiam vt contingentes sunt: quia omnis effectus, qui producitur per causas secundas, potest idem numero produci à solo Deo: at verò eo casu, effectus non possent esse contingentes, si Deus esset agens necessarium: Ergo nec iam, &c. Respondeo negando consequentiam; quia vt rectè notauit Molina citat. disput. 11. ad effectum contingentem requiritur, & sufficit, vt cum duæ causæ ad eundem effectum ita concurrunt, vt neutra sine altera pro ratione talis concursus ad eum sufficiat, saltem altera ex illis sit libera aut contingens; quod nunc quidem in productione effectuum contingentium planè accidit; at verò eo casu, quo solus Deus ex necessitate natura aliquem effectum produceret, non fieret.

#### DVBIVM VII.

*An ex qua ratione, DEVS generatim actus liberos, atque alia, qua in hoc mundo sunt, sua voluntate prædefiniat.*

S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8.

1 AD voluntatem in primis pertinet, aliquid agendum decernere vel definire, vel etiam prædefinire; quod qua ratione Deo conueniat, præsertim respectu actuum seu effectuum liberorum & contingentium, est hoc loco declarandum: vt hinc tanto melius dubio sequenti concordiam diuinæ voluntatis cum nostra libertate explicare possimus. Quare notandū primò, definire, statuere, cōstituere, decernere, destinare, moraliter idem esse; atq; hoc loco significare decretum voluntatis efficax, quo quis aliquid à se, aut ab alijs vult fieri. Huc etiam spectat vocula *determinare*, quæ tamen duplicem significatum habet; primò enim significat internum decretum, adeoque immanentem actum voluntatis, de re aliqua ab alio faciendā; quo sensu idem prorsus est, quod decernere, definire; secundo accipitur etiam pro actu & determinatione transeunte, in ipsam causam secundam; qua nimirum causā aliqua secunda ab alio agente extrinseco actione transeunte intrinsece determinatur ad agendum. Priori modo determinatio ad diuinam voluntatem relata, dicitur intrinseca DEO, & extrinseca causæ secundæ agentis; posteriori sensu dicitur extrinseca DEO, & intrinseca causæ secundæ; in præsentia autem, loco solum quaestio est de diuina determinatione, priori sensu.

2 Notandum secundo, prædefinire, seu præfinitio-

re, vel etiam præstituere, prædecernere, aut prædeterminare, non differre à definire, statuere, decernere, vel determinare, neque adeo etiam prædefinitionem, aut præfinitionem, (quæ in hac materia promiscuè vsurpantur) vel etiam prædeterminationem, à definitione, decreto, aut determinatione, nisi ratione voculæ *Præ*, quæ cum generatim prioritatem significet, duplicem tamen hic potest habere significatum: nam, & prioritatem rei siue temporis; & prioritatem causalitatis, siue naturæ ac rationis; vel etiam simul vtrumque significare potest. Eandem vim nonnunquam apud Doctores habet, etiam vocabulum prædefinire, & prædestinatio, generatim acceptum. Quo modo S. Anselmus libro de concordia præscient. & prædestination. titulo siue capite, secundo ait: *Prædestinatio videtur idem esse, quod præordinatio, siue præstitutio; et ideo quod DEVS prædestinare dicitur, intelligitur præordinare; quod est, statuere futurum esse.* Eandem vim apud Græcos habet vocabulum *προορίζω* seu *προορίζω* & *προορίζω*; quod tamen non solum internum animi definitis decretum, adeoque prædefinitionem, aut prædestinationem, sed etiam determinationem, seu prædeterminationem transeuntem significat; sicuti de determinatione siue prædeterminatione dictū est. Decretū autē Dei solummodo executiuū, quod iam priorem aliquam præfinitionem rei, ipsamque præscientiam absolutam eiusdem rei supponit, propriè non est præfinitio, vt rectè Suarez libro primo de concurs. Dei cap. 16. num. 2.

3 Notandum tertio, prædefinitionem diuinam, secundum ordinem causalitatis, aut rationis, comparari posse, vel cum determinatione libera voluntatis creatæ, siue causæ secundæ; vel cum effectu, seu ipso actu in facto esse ab eadem determinatione quasi procedente; vel cum præscientia etiam diuinam ipsius determinationis nostræ, quam actus seu effectus subsequenti. Et omnibus his modis quæri potest in præsentia, an DEVS prædefiniat, ea, quæ in hoc mundo à nobis, aut alijs causis secundis sunt, natura aut ratione prius, ante nostram liberam determinationem futuram; aut ante futuritionem operis seu effectus prædefiniti; aut ante præscientiam tam ipsius determinationis naturæ ad agendum, quam effectus ex ea subsequenti; quod si non ante præfinitur, an saltem simul, vel an omnino posterius præfinitur. Hæc enim omnia planè sunt distincta, vt videbimus.

4 Notandum quarto, cum ea, quæ in hoc mundo sunt, duplex esse habeant, adeoque dupliciter spectari possint, in se nimirum, vel in suis causis, vtroque etiam modo quæri posse, an & qua ratione à DEO prædefiniantur: siue de effectibus merè naturalibus, & à nostro arbitrio nullo modo pendentibus sermo sit, vt est motus cœli & astrorum; siue de actibus nostris liberis, seu bonis, seu malis, adeoque etiam de peccatis, & quæ ab his actibus liberis dependent, loquamur.

His positis, cum inter omnes quidem Catholicos Doctores conueniat; peccata ipsa à Deo non

præf-

præfinit, ut mox dicetur; de ceterarum tamen rerum prædefinitionibus, ac modo eas prædefiniendi, varie loquuntur Scholastici. Primum enim sunt nonnulli, quos Vasquez disputatione octogesima septima, capite primo, & disput. 99. capite quinto, numero trigesimo secundo, tacito nomine refert, ac ex instituto refellit, qui dixerunt, Deum ab æterno non voluisse, & decreuisse opera nostra sigillatim, sed in genere tantum, & in vniuersum definitum, paratum cum quouis operari, iuxta ipsius determinationem. Sed quæ sententia defendi nullo modo potest, ut bene Vasquez loco citato, & dicitur assertionem secundam.

Secundo sunt nonnulli, qui cum concedant quidem, Deum particulatim opera nostra prædefinire, dicunt tamen, actiones liberas à Deo prædefiniri præfinitione solum subsequente liberam determinationem nostram; in quibus sunt Catharinus opuscula præfinit. cap. vi. Osorius libro nono de Iustitia, Corduba lib. 1. quæst. 55. dub. 10. & quoad actus malos Marfilus in 1. quæst. 45. artic. 2. post conclus. 4. Quæ sententia à priori re ipsa non multum differre videtur, & refellitur quoque à Vasquez cit. d. 99. cap. 5.

Tertio quidam negant, opera saltem mala seu actus peccaminosos, etiam in quantum entia sunt, à Deo prædefiniri. Ita Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disput. 18. memb. 3. & Suarez opusculi libro secundo de concursu Dei, capite quarto. sed qui nomen prædefinitionis sumunt strictè pro præfinitione absoluta, quæ ratione & natura antecedit liberam determinationem nostram, iuxta assert. 3. Eodem modo nonnunquam etiam SS. Patres absolute negant, opera mala seu peccaminosa à Deo prædefiniri: sed loquuntur aut de eadem præfinitione antecedente; vel de operibus malis adæquate sumptis, etiam cum ipsa malitia morali, ut dicemus in fine assertionis 2.

Quarto Thomistæ quidam recentiores in altero extremo versantur: dum asserunt, omnes actiones nostras, etiam liberas & malas, quæ entia sunt, à Deo prædefiniri præfinitione absoluta, & natura antecedente cooperationem nostram. Sed verior sententia in sequentibus assertionibus consistit.

Assertio I. Deus peccata seu mala culpæ, nullo modo præfinit, aut decernit. Ita omnes, & patet ex dictis supra dub. 1. præcipue ex illo Psalmi quinti, versu quinto. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Abacuc primo, versu decimo tertio. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* Ratio est. Quia quicquid Deus præfinit, aut decernit, vult fieri; atqui peccata & mala culpæ Deus nullo modo vult fieri; sed solum permittit: Ergo.

In quem sensum etiam S. Augustinus libro de Spiritu & lit. capite trigesimo primo ait: *Nusquam legimus in sanctis scripturis, non est voluntas, nisi a Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum (quod absit) auctor est Deus.* Et in libro de articulis falso Augustino impositis dicitur: *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusque mala voluntatis, aut male actionis credit*

auctorem; cuius prædestinatio nunquam exera bonitatem, nunquam exera iustitiam est: *universa enim via Domini misericordia & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum, non instituerit, neque sancta diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire.*

Similia habet auctor hypognotici sequenti assertionem citatus, item Concilium Arausicum II. can. 25. & Concilium Valentinum sub Lothario capite tertio, & Fulgentius libro primo ad Monimum, ubi inter alia ait: *Præfinit voluntates bonas & malas; prædestinavit autem non malas, sed solas bonas.* Et S. Leo IX. epistola nona ad Petrum Antiochenum, *Credo, inquit; Deum prædestinasse solum bonas; præfuisse verò bona malaque.* Quod si ipsas malas actiones seu voluntates Deus non præfinit, ut citati Sancti dicunt, multo minus peccata.

Assertio II. Planè tamen fatendum est, Deum omnes effectus veros & reales quarumlibet causarum secundarum, adeoque omnes actiones nostras liberas, etiam malas, quæ entia sunt, sicut & ipsam peccati cuiuslibet permissionem; atque etiam mala solius pænæ, ab æterno, adeoque prius tempore, quam fiant, etiam in particulari aliquo modo prædefinire ac præordinare. Ita contra primam sententiam docent S. Thomas 1. p. quæst. 23. art. 1. ad 1. & quæst. 25. art. 5. ad 1. & quæst. 116. artic. 1. 3. & 4. & quæst. 5. de verit. art. 5. ad 1. & libro tertio cont. gent. cap. 90. & in 2. distinct. 37. quæst. 2. art. 2. & quodlib. 12. quæst. 4. art. 4. ubi ait, *à providentia Dei omnia esse determinata.* Idem docent Thomistæ omnes, alijque recentiores, ut & quoad peccati permissionem Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disput. 18. memb. 3. & de actibus peccati expressè etiam Vasquez disput. 99. cap. 8. num. 49. Nec re ipsa dissentiunt Molina & Suarez, ut in relatione tertiæ sententiæ dictum.

Probatum assertio primo ex scriptura, quæ ita sæpe loquitur, aut id certè æquipollentibus verbis tradit. Esther decimo tertio versu nono. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit tui resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Sapient. vndecimo, versu vigesimo sexto. *Quomodo poterit aliquid permanere, nisi tu voluisses: Adeoque æterno decreto statuisses.* Vbi generatim de omnibus rebus creatis sermo est, Ecclesiastici capite trigesimo tertio, versu decimo quarto. *Omnes via eius secundum dispositionem eius, sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum.* Eia. 14. versu 24. *Iuravit Dominus exercituum, dicens: Si non tu putauis, ita erit, & quomodo mente tradidisti, sic eueniet, ut conteram Agrium in terra mea, & in montibus meis conculcabo eum: & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc est consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extensa, super omnes gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extensa, & quis auertet eam? Vbi sigillatim etiam de malo pænæ sermo est, Actot. 17. v. vigesimo sexto. *Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum.* ubi rursum generatim de futuris contingentibus sermo est, Eph. 1. v. 11. *Qui operatur omnia secundum consilia voluntatis suæ.* Eph. 2. v. 10.*

Ipsius enim sumus factura; creati in Christo Iesus, in operibus bonis, (ut qui liberis) que preparavit Deus, ut in illis ambulemus. In qua verba S. Athanasius in commentario: Sciens autem hoc paravit Deus; que differri non poterunt, neque pratermitti, quin peragantur; tanquam diuinitus sint preafinita, idque per multam erga nos providentiam. Et Vasquez in paraphrasi, eadem verba ita reddit: Quae (bona opera) aeterna sua preafinitione ex se ipso, & nullo merito nostro preafiniuit, ut in tempore ea opereremur. Ad mala pena speciatim spectat illud Eccli. 11. v. 34. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt. Ex quo, & pluribus alijs locis, id ipsum etiam contra Ioannem Erigenam Scotum, ex instituto probat Ecclesia Lugdunensis, tom. 2. auct. Patrum, pag. 1072. Vbi recte etiam, id quod Sap. 1. v. 13. dicitur, Deum mortem non fecisse, ita explicat, ut hoc ad voluntatem Dei antecedentem, illud ad consequentem pertineat.

9 Ad actus malos speciatim pertinent ista Genes. 45. v. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate hoc misissus sum. Gen. 50. v. 19. Nolite timere, num Dei possimus resistere voluntati? Luc. 22. v. 22. Filius hominis secundum quod definitum est, vadit, nempe tradendus & crucifigendus, &c. Act. 4. v. 27. Conuerunt enim vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus ac populo Israel, facere, quae manus tua, & consilium tuum de reuerunt fieri. Act. 2. v. 23. Hunc definito consilio & praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemisisti.

Secundo idem probatur ex SS. Patribus, qui eodem plane modo loquuntur. S. Dionysius cap. 5. de diuin. nom. Exemplaria autem dicimus esse essentiae rerum effectrices rationes, quae in Deo coniunctae ante fuerunt, quas scripta diuina preafinitiones appellant, diuinasque ac bonas voluntates, quae constituunt & faciunt omnia, quemadmodum Deus, qui essentiae antecellit, ea quae sunt, & ante statuit, & in lucem protulit. vel ut in alia versione apud S. Thomam in commentario ibi dilect. 3. habetur: Exemplaria autem esse dicimus in Deo, existentium rationes substantificas, & singulariter praefixiones, quas Theologia preafinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates, existentium praedeterminatiuas, & effectiuas, secundum quas substantialis essentia omnia preafinavit, & produxit.

10 S. Augustinus in soliloq. cap. 26. Antequam enim nascerer ego, filius ancillae tuae, Domine, spes mea ab obuiibus matris meae, tu praexuisti, praeparasti mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuae. Priusquam me formares in utero, nouisti me, & antequam exirem de vulua, quicquid tibi placuit praedeterminasti de me. Quae & qualia sunt in libro tuo scripta de me, in secreto consistorij tui, ego quidem igroro, unde & valde timeo. Vbi patet, S. Augustinum etiam loqui de permissione peccatorum, quae penam merentur: & addit: Tu vero nosti, quoniam quod ego per successum dierum & temporum, hinc ad mille annos huius temporalitatis exspecto, in conspectu aeternitatis tuae iam factum est, & quod futurum est, iam factum est. Et tract. 104. in Ioann. ait, Omne tempus, & quid, & quando faceres, vel fieri finiret, ab illo esse dispositum.

Item S. Prosper libro secundo de uocatione gentium, capite trigesimo quarto. Nec aliter, inquit,

quicquam procedere potest, quam Omnipotentis uoluntate dispositum est.

11 S. Leo serm. 16. Cum ergo omnia, quae in Christum Iudaica admittit impietas, tanto ante praedicta sint, ut non tam de futuris, quam de praesentibus sit sermo contextus, quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur; apud quem & discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt? Cum enim qualitates actionum nostrarum & effectus omnium uoluntatum scientia diuina praeventur, quanto magis nota Deo sunt opera sua? Et recte placuit, quasi facta recti, quae non poterant omnino non fieri.

Theodoretus Ephes. 1. in illa verba, Elegit nos in ipso; Ab initio enim, inquit, ante mundi constitutionem, ea, quae ad nos pertinebant, praesciuit & praedefiniuit.

12 S. Gregorius lib. 12. Mor. cap. 3. Cuncta, ait, Deus praesciens, ante secula decreuit, qualiter per secula dispositus.

S. Damascenus lib. 2. fid. orth. cap. vlt. ait: Nam praescientia (siue per praescientiam suam) iam praefixit omnia Deus, secundum bonitatem & iustitiam suam. & orat. 1. de Imaginibus ita loquitur: Sunt idem in Deo imagines, & exempla rerum, quae ab ipse futurae sunt; nempe consilium eius aeternum, quod se habet semper eodem modo. Immutabilis enim est omnino Deus, in quo nulla est commutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Has imagines, & haec exempla praefinitiones appellat, sanctus ille Dei munere diuini in rebus considerandis & explicandis, excellens, si mus Dionysius. Omnia enim ab illo praefinita, & sine ulla commutatione futura, in eius consilio non aliter, antequam fierent, erant expressa, quam si quis uelit domum adificare, prius imaginem ac formam ipsius in animo effingit, cogitationeque complectitur. Quomodo autem intelligendus Damascenus, cum cit. loco de fid. orthod. negat, ea, quae in nostra sunt, potestate, a Deo praedeterminari, sequenti dubio dicitur.

13 Fulgentius quoque lib. 1. ad Monimum cap. 14. & S. Augustinus passim asserunt, Deum ea ab aeterno praedeterminasse, quae in tempore uoluntate sua facturus erat.

S. Anselmus item opusc. de concord. praescient. & praedest. ut. siue cap. 2. expresse docet, Deum, & bona, & mala opera praedestinare: Praedestinatio, inquit, non solum bonorum est, sed malorum potest dici, sed bona specialius praescire & praedestinare dicitur, quia in illis facit, quod sunt, & quod bona sunt: in malis autem, non nisi quod sunt essentia aliter, non quod mala sunt &c.

His denique adiungo perpicua uerba S. Thomae, qui in 1. part. quaest. 25. art. 5. ad 1. ait: Deus potest alia facere de potentia absoluta, quam quae praesciuit, & praedeterminauit se facturum, non tamen potest esse, quod aliqua faciat, quae non praesciuerit & praedeterminauerit se facturum: quia ipsum facere subiacet praescientiae & praedeterminationi; non autem ipsum posse, quia est naturale. Quis autem negat, Deum non solum facere, seu producere omnia entia, non solum naturalia, & necessaria, sed etiam contingentia & libera; adeoque ipsas etiam operationes nostras liberas, atque actus peccaminosos, quae praescientia sunt?

Quia tamen actus malus duo includit, & substantiam scilicet actus, & malitiam, quae ut dictum, nullo modo praefinitur a Deo; non est simpliciter, ac sine limitatione affirmandum, sed potius negandum,

actus

actus malos à Deo prædefiniri aut prædestinari : quo modo etiam sæpe loquuntur SS. Patres, & Concilia, apud Molinam & Suarez locis citatis; et sic cum explicatione addita, *secundum substantiam*, neque negetur à Patribus; neque à quocumque negari possit, loquendo generatim de præfinitione diuina. Quæ est etiam doctrina S. Thomæ in 2. d. 37. q. 2. art. 2. ubi ait: *Quodcumq; nomen deformatem simul cum actu significat, siue in generali, siue in speciali, non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter. Unde non potest dici absolute, quod peccatum sit à Deo, ut homicidium, aut aliquid huiusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, et in quantum est ens.* Accedit, quod SS. Patres nunquam loquuntur de præfinitione absoluta; & quæ ratione antecedit liberam determinationem nostram, ut dicitur assert. sequente.

14 Tertiò probatur assertio ratione. Primo. Quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno vult facere, adeoq; præordinat & præfinit, ut paulo antea ex S. Thomæ dictis, & per se patet; quia Deus nihil sine consilio & voluntatis suæ decreto facit; cum sit agens liberi & intellectualem: sed Deus vult causa vniuersalis ipsos etiam nostros actus liberos, seu bonos, seu etiam malos, in quantum sunt æterna, & quidam effectus causarum secundarum, in tempore efficiat: sicut etiam in tempore permittit omnia peccata: Ergo etiam ab æterno voluit & decreuit, tam omnes illos actus, & quæ fiunt, efficere, quam peccata, permittere; quod est præordinare ac prædestinare, nimirum prius velle, ut sint, vel fiant, quam fiant &c. Quæ ratio sumitur ex S. Thomæ loc. cit.

Secunda ratio sumitur ex auctore hypognoſtici lib. 6. Quia prædestinare, seu prædefinire aliquid, generatim loquendo, nihil aliud est, quam aliquid prius, quam sit in re; præordinare, ut dicitur auctor, rectè notauit: atqui Deus actus nostros omnes, ceteraque omnia quæ sunt, non minus, quam cuiusuis peccati permissionem, prius quam sint in re, præordinat: Ergo &c.

15 Tertio dum aliquid prædefiniri dicitur, vocula præ, dupliciter accipi potest, primo ut significet prioritatem causæ, qua Deus prius aliquid, quam causa secunda ad id sese determinet, aut eam se determinaturam cognoscat, decernit esse aut fieri: secundum ut significet solum prioritatem temporis aut durationis, ut supra dictum, & bene etiam notauit Vasquius disp. 99. cap. 6. num. 39. iam verò etiam si dici non possit, Deum omnes actiones nostras liberas prædefinire priori modo, negari tamen non potest, prædefinire modo & sensu posteriore, in scriptura itidem, & Patribus vſitato loquendi modo: qua de causa etiam in assertione diximus, aliquo modo prædefinire &c.

16 Eodem sensu etiam, ut loquitur S. Thomas q. 23. a. 1. fatendum est, res omnes, quæ sunt, fuisse à Deo prædeterminatas, loquendo de determinatione Dei intrinseca; quæ idem est, quod præfinitio: sicut enim aliquid prædefiniri potest in se, vel in sua causa; item præfinitio solum tempore antecedente ipsam futuritionem determinationis causæ secundæ, vel etiam prioritate causalitatis; ita etiam iisdem varijs modis aliquid prædeterminari à Deo dici potest: ut proinde minimè necesse sit ijs, qui negant præfinitionem, aut prædeterminationem liberi a-

ctus in se, ante præuisam determinationem, absolute dicere, Deum non prædeterminare, sed solum, condeterminare, aut postdeterminare actus eisdem liberos, svt recens quidam author existimauit.

17 Assertio III. Nulla eiusmodi præfinitio Dei antecedit scientiam conditionatam liberæ determinationis nostræ, sed omnis præfinitio Dei eandem scientiam mediam siue conditionatam sequitur & supponit. Ita sentiunt omnes Doctores, qui scientiam Dei conditionatam admittunt; speciatim Molina, Suarez, Vasquez, & alij: negant autem solum illi Thomistæ recentiores, qui eiusmodi scientiam conditionatam futurorum contingentium penitus negant & è medio tollunt; quos iam antea refutauimus quæst. 8. dub. 5. Probatur assertio manifestè, supposita existentia scientiæ mediæ. Quia in Deo simpliciter priores sunt actus necessarij, quam liberi, præsertim respectu eiusdem obiecti: atqui scientia conditionata futurorum contingentium in Deo est aliquo modo necessaria, ut ibidem diximus, omnis autem præfinitio Dei saltem efficax, & quæ in effectum deducitur, de qua hic loquimur, est simpliciter & absolute, modisque omnibus libera, ut dictum dub. 4. Ergo scientia Dei conditionata cuiuscumq; effectus contingentis, ratione prior est in Deo, quâ præfinitio eiusdem effectus. Quod argumentum conuincit, necessariò, saltè ex parte subiecti, ante præfinitionem quamlibet Dei, ratione præcedere scientiam conditionatam eiusdem effectus præfiniti. An autem id etiam necessarium sit, ad libertatem effectus prædefiniti tuendam, inferius dicitur assert. 7.

18 Assertio IV. Opus peccati, seu actum, qui habet malitiam moralem adiunctam, Deus nullo modo prædefinit, aut prædestinat, nec in se, nec in sua causa, præfinitione, quæ natura antecedit futuritionem absolutam ipsius determinationis nostræ; sed solum præfinitione comitante: sicut nec penam propriè, nisi post præuisionem peccati. Ita quoad primam partem Vasquez loc. cit. eademque est mens Molinæ & Suarez locis citatis, aliorumque Patrum, quos citant; quando eam ob etiã causam simpliciter negant, actus peccaminosos, seu malos, à Deo prædefiniri; accipiunt enim subinde prædefinitio-nem, pro ea, quæ natura antecedit liberam determinationem nostram; quo modo solos actus bonos vel in se, vel saltem in sua causa prædefiniri docent, ut videbimus. Eadem est sententia communis Doctorum recentiorum, extra scholam S. Thomæ, contra Thomistæ recentiores pro quarta sententia relatos.

Probatur assertio. Quia Deus ex seipso, adeoq; antecedenter ad determinationem nostram, ob summam suam bonitatem & perfectionem, qua peccatum omne & impietatem odit nec vult, nec velle potest opus peccati, cui malitia moralis annexa est: cû id potius prohibeat & deterretur, Ergo impossibile est, ut id præfinitione eiusmodi antecedente prædefiniat; siue in se, siue in sua causa. Quia etsi Deus præfinit sine nostro consensu cogitationem (inuoluntariam) ex qua per conditionatam scientiã scit (nisi ab eo extraordinariè impediatur) nos libere peccaturos, non tamen dici potest in eâ præfinitur, ut in causa, ante nostrum consensum, opus peccati, etiam secundum substantiam; quando qui-

dem non ea intentione Deus eiusmodi cogitationem præfinit, ut fieret opus peccati; neque adeo in ea cogitatione intendit, aut vult opus peccati; nec omnino per se, aut necessario ex vi eius cogitationis sequitur peccati. Secus est de opere virtutis, quod in ipsa vocatione congrua, veluti causa, recte dicitur Deus præfinire; quandoquidem Deus in ipsa eiusmodi vocatione congrua vult & intendit opus virtutis; idque per se, etsi non absoluta necessitate, ex illa sequitur, ut recte notavit Vasquez cit. disp. 99. cap. 8. num. 49 & dicitur assert. 6.

19 Itaque neque in eo ipso instanti, quo Deus, ante nostrum consensum absolute futurum, præfinit vocationem inefficacem, seu cogitationem illam, ex qua per scientiam mediam sciebat nos libere peccaturos, si proportionatus cause secundæ concursus accederet, præfinit Deus etiam opus peccati secundum substantiam; quia tunc nondum est futurum opus peccati; (ut pote quod Deus nihilominus extraordinaria providentia impedire posset; nec Deo vult, ut sit opus peccati; sed in sequenti instanti; quo decernit cum voluntate concurrere, sicut ipsa exigit, ad opus peccati: quæ voluntas in Deo non est antecedens, sed comitans nostram voluntatem; sicut & ipsa cooperatio Dei non antecedit naturam, sed comitatur concursum & determinationem nostre voluntatis, ut dicitur quæst. 11. dub. 1. ut proinde nulla idcirco voluntate antecedente, etiam in causa, Deus prædestinet opus peccati, secundum substantiam; ut etiam notavit Vasquez ibidem. num. 49.

20 Dico autem opus peccati; hoc est, cui ratio formalis peccati, seu malitia moralis adiuncta est; de hoc enim loquuntur auctores citati: quia opus peccaminosum, quod defectu libertatis, nullam malitiam moralem, nec adeo rationem formalem peccati annexam habet, nihil ob stare videtur, quin Deus sine nostro consensu, & ante illum possit præfinire; ut suo loco dicitur in 1. 2. disp. 4. quæst. 9. dub. 5. in fine.

Secunda pars assertionis est certa, & extra controversiam: quia omnis poena proprie loquendo, peccati poena est, iuxta S. Augustinum 1. Retract. cap. 9. Qui etiam lib. 3. cont. Julian. cap. 18. ait: *potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia inustus est.* Plura de hac re disp. seq. quæst. 7. dub. 3. Eodemque modo intelligi potest illud Hypognost. lib. 6. *sed non omne quod præfinit, prædestinat. Mala enim tantum præfinit, & non prædestinat. Bona vero & præfinit, & prædestinat.* Nisi forte potius ad sensum in sine præcedentis assertionis explicatum loquitur.

21 Dices primò, Decretum seu voluntas divina concurrendi cum voluntate creata, sicut ipsa exigit, est voluntas solum indefinita; & quasi conditionata; concurrendi nimirum, si voluntas creata se determinet: Ergo non potest habere vim præfinitionis vllius, seu prædeterminationis, respectu operis peccaminosi: quandoquidem conditionata propositio nihil ponit in Esse; nec adeo ex vi eius decreti, veletiam eo utrunque posito, futurum est opus peccati.

21 Respondeo, id decretum quidem per se non ha-

bere vim prædeterminationis; habere tamen, ut vult cum cogitatione præfinita substat scientiam mediam; per quam Deus infallibiliter scit, si homo tali cogitatione præveniretur, & simul concursus divinus proportionatus libere determinationi ipsius hominis accederet, hominem opus peccati perpetraturum. Utraque enim hæc conditio in illo secundo instanti iam impleta, infallibiliter futurum est opus peccati, etsi non necessario absolute; tum ob alias causas, tum quia secunda conditio non est omnino antecedens liberam hominis determinationem, sed comitans, ut antea dictum. Ex quo sequitur, opus peccati præfinitum à Deo non potuisse, nisi supposita præscientia Dei mediam; neque enim præfinitum potuit, nisi voluntate comitante futuritionem absolutam determinationis; neque voluntas comitans determinationem, haberet vim seu rationem præfinitionis, nisi præcessisset scientia Dei mediam.

22 Dices secundo. Vti posita præcise cogitatione, ex qua futurum est opus peccati, priusquam accedat voluntas Dei concurrendi cum causa secunda, sicut ipsa exigit, nondum infallibiliter futurum est peccatum, atque ideo etiam in ipsa præcise cogitatione seu decreto cogitationis illius non est præfinitum peccatum, ita nec posita cogitatione seu vocatione congrua, nisi accedat concursus Dei proportionatus, infallibiliter futurus est consensus in opus virtutis; ac proinde nec in cogitatione congrua, veluti causa, recte dicitur consensus in opus virtutis præfinitus.

Respondeo, negando consequentiam; quia cum cogitationem seu vocationem congruam Deus immitat ea intentione, ut accedente debito concursu sequatur consensus; iam eo ipso, atque in ipso decreto vocationis congruæ, simul virtualiter & implicite vult Deus concursum debitum & proportionatum, libere determinationi futuræ, iam antea sub conditione præcognitæ, exhibere; secus accidit in cogitatione incongrua, respectu operis mali, ut antea dictum.

23 Quæres, an, sicuti dictum est, opus peccati non esse præfinitum, ante futuritionem absolutam ipsius libere determinationis; ita etiam dici possit, non esse præfinitum ante præscientiam absolutam eiusmodi futuræ determinationis; item an dici possit, esse præfinitum primò post futuritionem absolutam eiusdem determinationis, vti quidem loquuntur auctores pro secunda sententia relati superius.

Respondeo ad utrumque negative; ideo enim in assertionem dictam est, ista præfinitum à Deo præfinitione comitante, non antecedente, aut etiam subsequente liberam determinationem nostram. Quod etiam hac assertionem sequenti ita generatim declaramus.

24 Assertio V. Vti omnis præfinitio Dei ratione antecedit absolutam præscientiam rei præfinitæ; ita nulla præfinitio sequitur futuritionem absolutam eiusdem. Ita contra secundam sententiam superius relatum Caietanum 3. p. q. 1. a. 3. & Vasquez cit. d. 99. cap. 5. & cap. 7. num. 42. ubi vniuersim docet, præfinitionem Dei non supponere scientiam absolutam rei futuræ, sed solum conditionatam. Et cap. 8. num. 49. ait, voluntatem illam Dei concurrendi cum actu peccati esse comitantem, non antecedentem;

dentem; nec adeo etiam consequentem ad determinationem nostræ voluntatis. Ratio est. Quia præscientia Dei absoluta, ut supponit rem ipsam futuram, ita etiam supponit præfinitionem eiusdem rei, à qua res habet, ut sit futura. Item nulla res prius potest esse futura, quam præfinita; cum ex præfinitione habeat, quod sit futura, ut dictum: Ergo nulla præfinitio sequitur futuritionem absolutam rei præfinitæ. Accedit, quod secundum oppositam sententiam, prior est determinatio nostra, quam diuinus concursus, quod in actibus præsertim bonis ac salutaribus dici nullo modo potest, ut magis patebit quæst. sequent. dub. 1. Denique cum opus peccati præfinitum sit eo ipso, quod supposita cogitatione illa, Deus decreuit concurrere cum voluntate humanâ, sicut ipsa exigit, ut antea dictum, non potest primum dici præfinitum, post absolutam præscientiam eiusmodi futuræ determinationis; cum præscientia absoluta cuiuscunque rei futuræ, ratione potestior sit ipsâ futuritione rei, ut superius quæst. 8. dub. 10. dictum. Quibus etiam de causis, recentiores oppositam sententiam graui censurâ damnant: Vasquez disp. 99. capit. 5. tanquam falsam refellit: ego probandam nullo modo sentio.

25 **Affertio VI.** Opus bonum virtutis prædefinit Deus, in suâ causâ, etiam absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Ita sentit Molina cit. q. 14. art. 13. disput. 18. mem. 3. & expressè docet. non solum Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 16. sed etiam Vasquez cit. capit. 7. & 8. ex communi, nemine quod sciam repugnante. Et probatur ex dictis. Quia opus virtutis prædefinit Deus in suâ causâ hoc ipso, quod prædefinit vocationem congruam; ut præced. assert. dictum est: at vocationem congruam prædefinit Deus absque nostro consensu, adeoque ante absolutam futuritionem, aut scientiam determinationis nostræ, ut antea ex communi diximus; & magis patebit in materiâ de prædestinat. & gratiâ. Ergo & ipsum actum virtutis prædefinit Deus in suâ causâ, absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Plura superius assert. 4.

**Affertio VII.** Res & effectus naturales, quæ à nostrâ libertate nullo modo, sed à solo Deo dependent, præfinit Deus etiam in seipsis, ante futuritionem nostræ determinationis seu consensûs. Ita ex communi Vasquez cit. disp. 99. num. 38. & 51. atque in eundem sensum explicat Damascenum loco cit. cum ait, *Deum non præfinire ea, quæ in nostrâ potestate sita sunt, sed quæ in arbitrio nostro non consistunt; ut sensus sit: Quæ à voluntate nostrâ non pendent, ante illam (secundum rationem) præfinit, quamuis non ante concursum causæ naturalis: quæ verò à nostrâ voluntate futura sunt, non ante illam, sed cum illâ decernit: ita ut vocula præ, non denotet solam antecessionem temporis, nec naturæ, respectu causæ naturalis; sed prioritatem independentiæ, respectu nostræ voluntatis libere consentientis.*

26 Vnde sumitur etiam manifesta ratio; quia hoc ipso, quod hæc à nostrâ voluntate minime dependent,

prædefinita etiam sunt independenter ab illâ, adeoque prioritate quadam saltem independentiæ ante illam. Tale opus est V. G. creatio cœli & terræ, motus item consuetus cœlorum & astrorum, dispositio generalis partium essentialium vniuersi &c. Dixi verò, præfinire ista ante nostram determinationem; nam utrum etiam præfiantur hæc omnia, ante determinationem causarum secundarum, à quibus quædam eius generis procedunt, dijudicandum est ex quæst. sequent. dub. 1. & dicitur non nihil disp. 3. quæst. 5. dub. 3. vbi S. Thomæ doctrina de prædestinatione expenditur.

**Affertio VIII.** Seclusâ scientiâ mediâ siue conditionatâ, non potest vllum opus liberum à Deo prædefini. Ita Molina loc. cit. Suarez cit. opusc. 1. de auxil. lib. 1. cap. 16. Mascarenas disp. 2. part. 4. Vasquez 1. part. disp. 99. capit. 7. numero 42. & est communis extra scholam S. Thomæ, contra recentiores Thomistas citatos. Probatur. Quia ut voluntas Dei habeat vim præfinitionis, respectu operis liberi, necesse est, ut voluntas illa sit efficax, & infallibiliter secum trahat opus præfinitum, absque præiudicio tamen libertatis: atqui seclusâ scientiâ Dei mediâ impossibile est, ut eiusmodi voluntas diuina simul, & infallibiliter secum trahat opus præfinitum, & libertatem operis præfiniti non impediat: Ergo impossibile est, ut seclusâ scientiâ Dei conditionatâ, detur in Deo eiusmodi voluntas prædefinens aliquod opus liberum, ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Maior patet.

Minor probatur. Quia ad efficacitatem & infallibilitatem illam diuinæ voluntatis omnino requiritur, præordinare, seu in proutu habere aliquod medium, ex quo in nobis infallibiliter sequatur consensus, seu opus præfinitum. Id quod dupliciter fieri potest; vel quia id medium ex se ac suâ naturâ, etiâ seclusâ omni scientiâ conditionatâ, talem vim & efficaciam habet, ut moueat, ac physicè prædeterminet voluntatem, aut sanè sit ipsâ prædeterminatio physica voluntatis: vel quia, licet ex se ac suâ naturâ physicè nequaquam prædeterminet voluntatem, nec adeo infallibiliter ex suâ præcisè naturâ secum trahat consensum, tale tamen est, ut Deus per scientiam illam mediam, ab æteruo nōrit, voluntatem infallibiliter consensuram, si tali motione seu medio hic & nunc adiuuetur, seu præueniatur, debitique concursus præstetur; & nec fingi quidem potest tertius modus, (ut omnes auctores hactenus consentiunt) quo præfinitio illa habeat infallibilem effectum: atqui iuxta primum modum, quæ seclusâ scientiâ Dei conditionatâ, talis infallibilitas præfinitionis asseritur, profus tollitur libertas arbitrij, non secus ac per physicam prædeterminationem eius, quam secum adfert, ut dicitur quæst. sequent. dub. 1. Ergo restat, ut admittatur & concedatur primus modus, qui supponit scientiam conditionatam futurorum contingentium; sine quâ perinde stare non potest libertas actûs præfiniti: idque non solum de prædefinitione ante determinationem nostram verum habet, sed etiam de præfinitione quacunque actûs liberi, ut expressè docent auctores citati; quia pariter omnis præfinitio diuina, infallibili nexu secum trahere debet opus præfinitum, ut assertione tertia dictum: nec verò id

aliter.

aliter fieri potest, quam altero ex duobus modis supradictis. Vtrum autem, quod iam dicendum restabat, supposita scientia conditionata, possit opus aliquod liberum prædefiniri etiam in seipso, ante nostram determinationem absolutè futuram, quia longiorem tractationem postulat, dicitur dubio sequenti.

29 Ex his verò sequitur, tametsi quidem res omnes à DEO præfinitur, non tamen eodem modo prædefiniri omnes; ac in specie quidem differre præfinitionem actuum bonorum & malorum; quod hi nullo modo præfinitur (prioritate naturæ seu causalitatis) ante determinationem nostram; illi verò etiam ante hanc præfinitur saltem in sua causa; & fortè etiam in seipsis, vt dicitur dub. sequenti, & infra disp. 3. quæst. 5. Dub. 6.

#### DVBIVM VIII.

*Qua ratione diuina voluntatis efficaciac, ac præfinitiones, cū libertate arbitrii conciliantur; & an sola præfinitio Dei interna est immanens, quantumuis antecedens & absoluta, pugnet cum libertate actus prædefiniti.*

Ad S. Thom. I. p. q. 19. a. 8. & q. 22. a. 4. & q. 23. a. 1. ad 1. & art. 6. & 7.

1 **C**onstat quidem ex dubio quinto generatim, voluntatem Dei non omnibus rebus volitis necessitatè adferre; adeoque non obstante diuina voluntate, stare & in hominibus, & in Angelis, libertatem arbitrii; sed & diuinarum præfinitionum rationem dubio præced. magna ex parte iam explicauimus. Verum qua ratione particulatim libertas arbitrii creati cum diuinæ voluntatis efficaciac, ac præfinitionibus concilietur; & quousque demum eiusmodi præfinitiones absque præiudicio libertatis extendi possint, id nunc explicandum restat. Neque hic est sermo de diuina cooperatione, seu concursu externo, ex diuinæ voluntatis decreto consequente, de hoc enim quæst. seq. dub. 1. agendum; sed solum de internis ac immanentibus actibus diuinæ voluntatis secundum se; non quidem inefficacibus, ac per modum simplicis complacentiæ se habentibus; hi enim hoc ipso, quod inefficaces sunt, non infallibiliter secum trahunt, ac proinde nec impediunt liberam determinationem, seu cooperationem arbitrii nostri; sed solum de efficacibus, præsertim illis, quas præfinitiones diximus.

2 Quo in genere præ oculis habendi tres præfinitionum diuinarum modi, respectu actuum liberorum, qui in nostra potestate sunt constituti; quos præcedenti dubio attigimus. Primus est per modum decreti quasi conditionati, concurrendi nimirum cum arbitrio, si id seipsum libere ad hanc

vel illam actionem determinet; seu quod idem est, præstandi vniuersim cum concursu arbitrio creato, quem id sibi iuxta conditionem suæ liberæ determinationis depoposcerit; quam præfinitionem dub. præced. assert. 4. & 5. diximus, neque antecedere, neque subsequi liberam nostræ voluntatis determinationem, sed comitari; vt proinde præfinitio concomitans dici possit. Secundus modus est, præfinitionis actus virtutis in vocatione congrua, vel in sua causa; ante determinationem nostram absolutè futuram; de qua diximus dub. præced. assert. 6. Tertius præfinitionis modus est, per modum absoluti & simpliciter antecedentis decreti, quo nimirum Deus absolutè, & ante liberam determinationem nostram absolutè futuram, aliquid non tantum in sua causa, sed etiam in se præfinit, adeoque esse aut fieri velit ac decernat; qualem præfinitionis modum in rebus quidem merè naturalibus, & ab humanâ libertate minimè pendentibus, locum habere diximus dub. præced. assert. 6. sed an possit etiam locum habere in operationibus liberis, nondum exposuimus, sed ad hunc locum explicandum distulimus.

Præter hos tres præfinitionis modos, etiam addi potest quartum quasi genus efficacis volitionis diuinæ, quâ Deus non solum post determinationem nostram liberam absolutè futuram, sed etiam post præuisionem eiusdem ac ipsius operis iam ante prius ratione præfiniti, vult ipsum præfinitionis decretum exequi; quod propriè non esse præfinitionem, licet tempore præcedat actum seu opus decretum, dub. præced. notat. 2. ex Suarez diximus: licet quidam vniuersim actus liberis non aliter præfinitur velint, nisi post determinationem nostram liberam absolutè futuram: quos refutauimus dub. præced. assert. 5.

His ita constitutis, certum est primò, voluntatem efficacem, seu præfinitionem, per modum quasi conditionati, aut generalis decreti, nihil impedire libertatem, omnium consensu. Ratio est. Quia istud decretum, eo ipso, quod solum conditionatum, aut generale est, modo explicato, per se, & seclusâ scientiâ conditionatâ non necessariò infert determinationem suæ consensum nostrum; conditionata enim absolutè nihil ponunt in Esse: sed solum ratione præfinitæ conditionatæ; per quam nullam voluntati inferri necessitatè, ex dictis de diuinâ scientiâ constat. q. 8. dub. 1. & mox rursus inferius dicitur.

Secundo certum est, neque voluntatem illam quasi executiuam, quâ ex suppositione futuræ determinationis nostræ, ac suppositâ eius præuisione absolutâ, absolutè etiam per modum executionis vult Deus cum arbitrio creato ad hanc vel illâ actionem in particulari concurrere; (quam rectè etiam Suarez opusc. de concur. Dei lib. 1. capit. 16. numero 2. Deo tribuit) obstare libertati. Ratio est. Quia licet suppositâ hac absolutâ voluntate, necessariò, necessitatè consequentiæ & infallibilitatis, sequatur hæc vel illa actio nostra; non tamen hæc necessitas est absoluta, & antecedens, sed solum hypothetica, & consequens; quia supponit absolutam præficientiam, ac fu-

turatio-

turitionem actionis nostrae, ut superius cit. quest. 8. dub. 11. fusius explicauimus.

4 Tercio non minus certum est, & indubitatum, apud omnes, neque praefinitionem illam antecedentem boni operis in vocatione congrua seu efficaci; neque adeo etiam (quod re ipsa idem est) decretum, seu voluntatem diuinam conferendi, aut denegandi, his vel illis, ad hanc vel illam actionem, auxilium efficacis gratiae praeueniens, per se ac in genere, tollere vel impedire libertatem, aut facultatem etiam, ad easdem illas actiones exercendas, vel non exercendas, ad quas dandum & denegandum decernitur; quod cum alij aliter explicant, nos tamen ex materia de gratia, id quod verius est, quasi praesupponendo, ita breuiter declaramus. Quia auxilium illud gratiae efficacis neque est necessarium, ut homo hanc vel illam bonam actionem possit exercere; etsi necessarium sit ad hoc, ut homo re ipsa eiusmodi actionem exerceat; quo fit, ut etiam si alicui denegetur, aut denegandum decernatur, adhuc tamen stet facultas, adeoque etiam libertas bene operandi; neque est aliqua eiusmodi vis aut motio, qua voluntas nostra physice ad operandum praedeterminetur, quicquid Thomista quidam recentiores in contrarium dixerint: sed est solum ipsa gratia praeueniens, quatenus ut subest scientiae Dei media, infallibili conuenientia, abique vili tamen necessitate physica, secum trahit consensum seu cooperationem nostram; cum interim voluntas possit eiusmodi vocationi absolute resistere. Quae proinde necessitas consensum & cooperationis futura, cum solum oriatur ex ipsa praefinitione, seu futuratione conditionata nostri consensum, non est necessitas absoluta vel antecedens, sed solum hypothetica & consequens, ut suo loco fusius declarabitur; & ex sequentibus etiam a fortiori patebit, & recte etiam declarauit Vasquez disp. nonagesima nona, capite septimo, numero quadragesimo secundo, & quadragesimo tertio, & capite octauo, numero quadragesimo octauo.

5 Haec igitur cum certa sint, & extra controuersiam posita, illud modo inter Doctores controuersum est, an stare etiam libertas creati arbitrij possit, cum absoluto & antecedente decreto, & praefinitione Dei interna ac immanente, qua Deus absolute, atque ante omnem liberam determinationem nostram absolute futuram, voluerit ac decreuerit aliquid in particulari a nobis fieri; seu quod idem est, an praefinitio illa Dei antecedens & absoluta stare possit cum libertate nostrae actionis in particulari, etiam in se, non solum in sua causa praefinitae. Voco autem eam praefinitionem immanentem & intrinsecam Deo, ac extrinsecam arbitrio creato; ut distinguatur a praedeterminatione DEI transeunte, ac in ipso arbitrio creato recepta; qua proinde extrinseca est Deo, & intrinseca arbitrio creato, seu causae secundae agentis, de qua non hoc loco, sed quaestione sequenti dub. 1. disputandum est, ut antea monuimus.

6 Sunt autem de proposita quaestione duae Doctorem sententiae. Prima absolute docet, eam praefinitionem impedire libertatem, respectu earum actionum, quae ita Deo in seipsis, sunt praefinitae: qui proinde negant, vllas actiones liberas cre-

atas ita a Deo praefinitas fuisse, aut praefinitari potuisse: etsi farentur, actiones bonas & salutare, ante praefinitionem & futurationem absolutam determinationis nostrae, fuisse a Deo praefinitas in sua causa vocationis congruae; quae tamen ex se nullam necessitatem consentiendi adferret; cum ei voluntas nostra absolute posset resistere, ut dictum. Ita docent Gregorius de Valentia hic quaestio. 22. punct. 3. & quaest. 23. punct. 4. Molina quaest. 14. art. 13. d. 18. Vasquez hic disput. 89. cap. 10. & disputatione 99. cap. 3. & 7. & in 3. part. rom. primo, disputatione 74. capite 7. & alij nonnulli recentiores: ex antiquioribus vero Scholasticis, qui hanc sententiam aperte tradiderit, neque citant ipsi, neque ego inuenio.

7 Solum adducunt Anselmum, & Waldensem, mox inferius citandos; qui negant, libertatem stare posse cum necessitate antecedente, ut iam dicemus. Quibus adijcit Vasquez hic citat disput. 99. cap. 6. num. 56. Damascenum lib. 2. de fid. cap. vlt. vbi sic ait: *Illud scire interest, Deum omnia quidem praesumere, sed non omnia praesumere. Praesertim ea etiam, quae in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt, ac non ita ea praesumi: neque enim vitium admitti vult; nec rursus virtuti vim affert.* Et addit iuxta Graecum textum, (interpretatio enim Latina corrupta est;) *Quoniam diuina praescientia visum opus est praefinitio. Praefinit autem ea, quae non in nostra potestate sunt, secundum praescientiam suam.* Idem habet Damascenus libro contra Manichaeos, non longe a fine, vbi ait: *Quae cum ita sint, Deus ea, quae voluntarie a nobis futura sunt, hoc est, ea, quae in nostra potestate sita sunt, nimirum virtutem ac vitium, praesiciens, ea demum praefinit, quae in arbitrio nostro minime consistunt.*

8 Quanquam idem Vasquez ibidem, numero trigesimo octauo non dissimulat S. Thomam hic quaestio. 23. artic. 1. ad 1. hoc ipsum sibi testimonium obiecit, atque ita dissoluisse, ut diceret, Damascenum praedeterminationem seu praefinitionem nominasse, *impositionem necessitatis, quae est, inquit, in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminatae ad unum; quod patet, inquit S. Thomas, ex eo, quod subdit: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem.* Sed eam interpretationem S. Thomae, rejicit Vasquez; nec tamen diffidet interim eadem disputatione 99. cap. 3. S. Thomam, aliosque Scholasticos veteres complures, ei sententiae, quae negat, absolutam illam praefinitionem stare posse cum libertate, etiam ex alio capite parum fauere; dum nimirum in conciliatione voluntatis diuinae cum libertate nostra, eius sententiae nunquam meminerunt: sed longe aliam, ac diuersam ab ea sententia, conciliationis rationem tradiderunt: utcumque demum ipse eadem disputatione, capite septimo numer. 47. quasi dicis causa, asserat, putare se suam sententiam S. Thomae, & alijs Scholasticis ab eo cap. 3. relatis non aduersari.

9 Fundamentum autem potissimum huius sententiae est. Quia quod fit necessario, necessitate antecedente, non fit libere: atqui a Deo hoc modo praefinitum ante nostram determinationem, necessario fit necessitate antecedente: Ergo non fit libere: ac proinde impossibile est, liberas

actiones

actiones nostras ita à Deo præfiniri. Maior sumitur ex S. Anselmo opusc. de con. lib. arbit. & prædestinat. cap. seu tit. 1. & communiter admittitur ab omnibus, adeo ut Waldensis tomo 1. doct. art. 1. c. 25. contra quosdam Theologos sui temporis periculosa vocet eam doctrinam, qua illi dicebant, nostra opera fieri necessario necessitate antecedente; non enim cum tali necessitate consistere libertatem arbitrij: *Necessitas ero præcedens*, inquit, *non compatitur arbitrij libertatem; & ideo ipsa non convenit humanis affectibus. Periculose ergo, ut mihi videtur, quidam magis viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus; etiam & quod suat voluntate Dei: maxime cum antiquis Ecclesie Patribus nihil consonans reperire possunt, cum conantur; & illud quod adducunt, cor Regis in manu Domini. & quocumque voluerit, inclinabit illud, ipse textus exponit se, intelligi de necessitate tractionis vel inclinationis; non autem de necessitate illa, quæ præcedit, secundum Anselmum.*

10 Minor eiusdem argumenti probatur. Quia iuxta eundem Anselmum ibidem, & communem, ut aiunt, explicationem, necessitas antecedens vocatur, quæ provenit ex causa, seu ex aliquo, quod antecedit effectum; quo posito, non potest effectus non sequi: ac proinde, id necessariò fit necessitate antecedente, quod fit necessariò ex hypothese antecedente, non solum re & tempore, hoc enim per se impertinens est; sed etiam natura & ratione, liberam determinationem arbitrij, & ab ea independentem; atqui omne prædefinitum à Deo ante determinationem nostram, necessariò fit, ex tali hypothese, ipsius scilicet prædestinationis, quæ cum, ut supponitur, sit causa actus humani, nostræque determinationis ad eundem, simpliciter & absolute, non solum re & tempore, sed etiam natura ac ratione prior ac independens est ab usu liberi arbitrij.

11 Secunda, & quidem eomunior sententia Theologorum, tam veterum, quam recentiorum est, præfinitionem illam Dei internam, qua ante prævisionem absolutam nostræ determinationis, absolute & efficaciter prædefinit, etiam in se, ac in particulari, aliquam actionem nostram, per se non pugnare cum libertate actionis prædefinitæ; adeoque fieri posse, ut Deus ita absolute prædefiniat aliquas actiones liberas, seu aliud quippiam, quod est in potestate nostra situm. Hæc est sententia S. Thomæ quæst. 23. a. 8. ubi docet, numerum prædestinatorum, etiam in individuò, certum esse Deo, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum principis cuiusdam præfinitionis. Quo nomine planè absolutam & antecedentem præfinitionem saluandorum significat; eum tamen interim adulti omnes liberè saluentur. Plura in eundem sensum referuntur inferius disp. seq. q. 5. dub. 3. & 6. Idem indicat 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. & q. 5. de verit. art. 5. ad 1. & 3. cont. gent. cap. 90. Vbi superius allatum dictum S. Damasceni exponens, ait; eum non quæcumque nostrorum actuum prædeterminationem negare voluisse, sed eam duntaxat, quæ est cum impositione necessitatis. Idem sentiunt S. Thomas hic q. 19. a. 8. & q. 22. art. 4. Durandus in 1. d. 46. q. 1. n. 7. Dionysius Carthusianus d. 39. q. 2. & d. 42. q. 1. Capreolus d. 45. q. 1. conclus. 1. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 85. Driedo opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. part. 2. cap. 3. ad 1.

qui cum diuinæ voluntatis & providentiæ efficaciam cum libertate nostri arbitrij conciliant, nullam prorsus, ut res alioqui exigebat, mentionem faciunt, præviæ aut concomitantis liberæ determinationis nostræ; sed ea solum ratione concordiam, hanc & conciliationem explicant; quia non solum ipsæ res secundum se, sed etiam cum suis illis modis contingentia vel necessitatis, cadunt sub efficaciam diuinæ voluntatis ac providentiæ; quæ proinde rebus contingentibus, causas contingentes; alijs vero necessarias præparaverit, id quod fatetur etiam Vasquez disp. 99. cap. 3. num. 7. ubi idcirco vocat hanc sententiam antiquorum Scholasticorum. In eundem sensum loquitur Anselmus cit. opusc. de concord. lib. arb. & prædest. ut inferius dicemus. Eandem sententiam consequenter ac necessariò sequuntur omnes Scholastici, quotquot tuerentur prædeterminationem adultorum, ante absolutam futuritionem, & prævisionem cooperationis, & meritum, quos disput. seq. dub. 3. referemus. Cum enim homo adultus liberè saluetur, ut pluribus probat Vasquez disput. 89. cap. 10. certè ij, qui talem prædeterminationem statuerunt, non existimantur, ab illa, quantumvis re & ratione antecedit nostram determinationem, impediri libertatem. Eandem sententiam speciatim etiam indicant Scotus in 1. dist. 39. quæst. vn. & quodlib. 9. art. 14. & ceteri eius discipuli ibidem.

Denique eandem sententiam apertè ac in proprijs terminis ex instruto docent, & fusè tuentur Suarez hic libro primo de prædest. cap. 8. num. 18. & opusc. 1. de auxili. grat. lib. 1. cap. 16. num. 4. & in 3. p. tom. 1. dist. 37. sec. 3. Mascarenas de grat. disput. 2. part. 4. num. 29. Item Bannes quæst. 23. art. 5. Zumel art. 4. disput. 3. ac Thomistæ recentiores omnes. Et addit Suarez, oppositam sententiam sibi nunquam nec probabilem quidem visam esse. Ita enim loquitur l. 3. de auxili. num. 9. *Quod huiusmodi præelectio, inquit, non sit impossibilis Deo, salva libertate arbitrij hominis, mihi certissimum est; ita ut licet superiorem sententiam non censeam improbabilem, quatenus declarat modum providentiæ, vel prædestinationis, quem de facto Deus habuit, tamen quatenus in eo fundatur, quod alius modus erat impossibilis, & repugnans libertati, nunquam mihi probari potuit, nec verisimilis videri. Et inferius cap. 29. num. 17. docet, fuisse incognitam antiquis Theologis; Contraria ratio; inquit, apud me est omnino inefficax; & in hoc etiam omnino improbabili; quod probare conatur, esse impossibile Deo, efficaciter eligere aliquem (ante præviæ merita) ad gloriam liberè consequendam: quod nullus antiquorum Theologorum dixit, illorum etiam, qui putant, de facto talem electionem in omnibus saluandis non præcessisse. Ita Suarez; ex quibus facile patet, quam sit hæc communis & recepta, ac verè classica Doctorum sententia.*

Cum autem in hoc omnes auctores consentiant, posse, atque etiam solere nonnunquam Deum quasdam actiones nostras liberas, seu alia, quæ in potestate nostra libera constituta sunt, salva libertate, modo explicato prædefinire; in tribus tamen alijs eandem re concernentibus discrepant. Primò quidè, quia Bannes, Zumel, & alij recentiores Thomistæ existimant, etià absq; scientia media, seu conditionata futurorū contingentium posse stare & conciliari libertatem

arbitrij nostri, cum infallibilitate & efficacia prædestinationis illius, respectu actuum prædefinitorum; at verò Suarez, Mascarenas, & alij dicunt, per scientiam quidem illam medium posse, at sine illa non posse consistere libertatem nostram, quoad actus ita prædefinitos, cum tali præfinitione. Nos ex præced. dub. assert. 8. supponimus, nullam præfinitionem operis liberi esse posse, absque præuia Dei scientia media, siue conditionata.

14 Secundo iidem Thomistæ recentiores docent, eiusmodi præfinitionem absolutam & efficacem, re ipsa interuenire, imò ratione dependentiæ cuiusque effectus à prima causa vniuersalissima prorsus necessariam esse, in omnibus omnino actibus & effectibus causarum secundarum, adeoque in omnibus actionibus humanis, non solum bonis, sed etiam malis, in quibus actus & entia sunt; vt post Bannè fuisse prosequitur Didac<sup>9</sup> Aluarez l. 3. de auxil. grat. d. 2. n. 9. & d. 24. n. 15. Suarez autem, & alij negant, actus moraliter malos villo modo ita à Deo, aut re ipsa prædefiniti, aut prædefini posse, qui proinde addunt, eiusmodi præfinitionem non tam esse necessariam ex parte ipsius effectus causæ secundæ, quasi alioquin ille esse non possit sine tali præfinitione; quæ ex parte ipsius Dei, ob maiorem diuinæ prouidentiae perfectionem. Nos itidem hic supponimus, ex eodem dubio præcedenti assert. 4. actus malos à Deo ita præfiniti non posse: de bonis solum disputamus: non quidem an absolute omnes ita prædefiniantur, de hoc enim agendum disp. sequent. q. 5. dub. 6. sed solum an saluam libertate ita prædefini possint.

15 Tertio, Thomistæ recentiores, in actibus humanis, præter præfinitionem Dei internam, admittunt etiam & requirunt prædeterminationem externam physicam, quæ ita efficaciter à Deo præmoueatur voluntas, siue potentia operatiua, vt supposita eiusmodi motione, non possit non operari, aut consentire. Suarez autem, & Mascarenas, non minus quam Molina, Vasquez, alijque recentiores, pro priori sententia citati, eiusmodi prædeterminationem physicam in actibus liberis, vt potè cum libertate pugnantem, penitus rejiciunt: quod nos etiam hoc loco ex questione sequenti dub. 11. supponimus. Quibus positus, ad præsentem dubitationem hac vnica assertione respondemus.

Assertio vnica. Supposita in Deo scientia mediâ, rectè consistere potest libertas operis, à Deo etiam ante liberam determinationem nostram absolute futuram, prædefiniti; adeoque potest Deus opus aliquod nostrum bonum, ac liberum, ante liberam determinationem nostram, eiusiue præscientiam prædefinire ac prædeterminare; ita vt talis præfinitio, non solum tempore, sed etiam naturâ & ratione præcedat, tam ipsum opus liberum, quam determinationem nostram liberam, ad idem opus. Ita sentiunt omnes auctores pro secunda sententia superius relati: adeo vt hæc sit explorata sententia veterum Scholasticorum, & communis plurimorum recentiorum, quos disp. seq. q. 5. dub. 3. & 6. de prædest. fusius referemus; cum è contrario ex veteribus Scholasticis, qui contrarium aperte docuerit, quod mihi quidem hæc constat, & notauit etiam Suarez antea citatus, ne

vnus quidem referri possit: sicut nec Damascenû, nec Anselmum, nec Waldensem in opposita fuisse sententia, inferius ostendemus.

Et omissis hoc loco testimonijs sacrae Scripturae & SS. Patrum, quibus significatur, re ipsa ac de facto quædam opera nostra, sic à Deo fuisse prædefinita, quæ d. seq. q. 5. dub. 6. adferentur & expendantur; cum hoc loco non agam<sup>9</sup> de eo, quod re ipsa faciat Deus, sed quid absolute possit, aut potuerit facere; probatur assertio primo directè hac ratione. Si præfinitio illa necessario impediret libertatem actus præfiniti, id faceret aut immediatè per se ipsam, aut per aliquem modum, seu medium executionis subsequens: non enim restat alius modus, quo necessitet voluntatem: sed nec per se ipsam id facit, nec per medium aliquod in executione subsequens: ergo non impedit necessario libertatem actus prædefiniti. Maior constat: quia quidquid præfinitione illâ in mente diuina antecedit, id omnium sententia rectè consistere potest cum libertate actus præfiniti; nec in ipsa mente diuina, ad eiusmodi præfinitionem aliud consequitur, quam & voluntas applicandi potentiam executiuam ad opus, & præscientia absoluta secuti effectus; quarum posteriorum nullo modo ob stare libertati actus præfiniti aut prædefiniti, omnes consentiunt; voluntas autem executiua, cum supponat præfinitionem ac futuritionem ipsius operis præfiniti, non potest etiâ per se impedire libertatem; sed si impediatur, necesse est impedire ratione modi, seu mediij ipsius executionis, quæ ex illa consequitur, quem modum seu medium, sub altero membro illius propositionis maioris comprehendimus.

17 Minor probatur. Quia impediri nostræ voluntatis in agendo libertas non potest, nisi vel actio eius penitus impediatur, vel in se ipsa realiter, siue intrinsece atque antecedenter aliunde, quam à se ipsa ad vnâ partem determinetur; quamdiu enim ita intrinsece & antecedenter aliunde determinata non est, vis & modus eius connaturalis agendi in se nulla ratione mutatur vel impeditur: ac proinde manet ei facultas, quæ se ipsam possit determinare, etiam liberè: at vero præfinitio illa diuina, nec per se, nec ratione executionis subsequentis, aut voluntati omnem operandi potestatem adimit, vt per se patet, nec eam realiter ac intrinsece ad vnâ partem determinat: Non per se immediatè ac formaliter, quia est aliquid voluntati merè extrinsecum, quod eam realiter nullo modo afficit; nec adeo etiam realiter & intrinsece ipsam determinat: neque etiam mediatè, vel ex consequenti, ratione executionis, seu mediij ad executionem destinati. Quia executio huius præfinitionis, vt hic supponimus, non fit, per internam physicam aliquam prædeterminationem, quæ sua vi, antecedenter ad liberam determinationem voluntatis, intrinsece ad vnâ partem determinet voluntatem: sed solum fit imperitione gratiæ congruæ, quæ suam infallibilitatè causandi consensum, seu effectum præfinitum, solum habet ex scientia media, quæ cum posterior sit ipso futuro consensu, sub tali conditione fit, vt nec voluntatè physicè ad consensum determinet, nec vllâ voluntati absolutâ necessitatè adferat, vt superi<sup>9</sup> dictum: partim

exhibitione actualis concursus diuini, quo itidem voluntatem antecedenter & intrinsecè non prædeterminari, quæst. seq. contra Thomistas recentiores dicitur: Ergo nulla penitus ratio est, quæ per præfinitionem illam extrinsecam, supposita scientiæ mediæ, quam iuxta nostram sententiam supponimus, dicatur impediri libertas actionis ita præfinitæ.

18 Secundo probatur assertio ad hominem, ex ijs, quæ ipsimet aduersæ sententiæ auctores admittunt. Nam vt dub. præced. diximus, Vasquez vana cum alijs, expressè docet disputat. 99. capit. 8. num. 48. 49. Deum præfinitæ opera nostra (bona) sine nobis, hoc est; ante nostram liberam determinationem, non quidem explicite, & singulatim in seipsis (vt ipse ait) sed *incongrua vocatione*, quam cum præscientiæ eius, quod esset factura nobis prædestinavit. Sicut enim congruam vocationem largitur nobis in tempore, ante nostram liberam determinationem, ita etiam eam præfinit. Quam doctrinam necesse est admittant omnes, quicumque scientiam mediæ admittunt, & simul gratuitam donationem gratiæ congruæ, contra Pelagianos fatentur.

Quoposito, sic argumentor. Si præfinitio illa absoluta & antecedens determinationem nostram, de qua disputamus, impediret libertatem, id fieret ideo, quia adfert voluntati necessitatem antecedentem ad opus præfinitum: necessitatem vero antecedentem ideo adferret, quia præfinitio, ex qua sequitur infallibiliter opus præfinitum, non solum re & tempore, sed etiam natura & ratione, antecedit liberam determinationem nostram, vt auctores oppositæ sententiæ vno ore dicunt: at vero supposita hac eorum doctrina, quam retulimus, dici minimè potest, omnem necessitatem, quæ oritur ex conditione re & natura antecedente liberam determinationem voluntatis nostræ, esse antecedentem, & impossibilem cum libertate: Ergo absque fundamento, & contra suammet doctrinam asserunt, necessitatem, quæ oritur ex illa præfinitione, ideo esse antecedentem, & impedire libertatem, quia præfinitio illa re & natura præcedit liberam determinationem nostram. Maior constat.

19 Minor probatur. Quia illa ipsa præfinitio nostræ cooperationis in gratia congrua, veluti causa, & præcedit liberam determinationem nostram, vt ex certâ & communi dictum, dub. præced. assert. 6. & simul hoc ipso, quod est præfinitio cooperationis seu determinationis nostræ in ipsa vocatione illa, velut in causa, infallibili sequela & nexu infert secum; trahit cooperationem, seu determinationem nostram ad opus præfinitum: & tamè ea ipsa præfinitio, iuxta eisdem, neque adfert necessitatem antecedentem, neque impedit libertatem actus præfiniti, cuius rei Vasquez cit. n. 49. non aliam rationem adfert, nisi quia, *cuius liberum est*, inquit, *vocationi congrua resistere, vel obtemperare*. Ergo etiam secundum istosmet auctores, verum non est, omnem necessitatem, quæ oritur ex conditione re & natura antecedente liberam determinationem nostram, esse antecedentem & libertati cõtrariam. Simile exemplum circa reprobatio-

nem adfero inferius disp. 3. q. 7. dub. 5. ex eodem Vasquio disp. 95. cap. 9.

20 Quocirca etiam, vt in disp. de prædest. thesi 55. monui, argumento illo, quod ex Anselmo obiiciunt, premuntur omnes illi, qui admittentes scientiam mediæ, rectè asserunt, Deum ante præuisionem cooperationis nostræ, prædestinatis gratis decreuisse eam gratiæ, qua cum antea per scientiam mediæ præuiderat eos cooperaturos. Hoc enim posito necesse est, fateri, cooperationem prædestinati (vtique tantam, talem, & hanc numero: hæc enim omnia per scientiam cõditionatam præuiderat Deus) necessario sequi ex hypothesi, re & ratione antecedente futurum liberum vsum arbitrij. Necesario enim sequitur ex illo ipso decreto talis gratiæ; supponente quidem scientiam mediæ, sed antecedente ipsam cooperationem, seu consensum, & determinationem futuram, velut effectum; adeoque etiam præuisionem absolutam talis cooperationis seu determinationis; quia quod Deus scientia mediæ præuiderit infallibiliter futurum ex aliqua hypothesi, id impleta hac hypothesi, eoisso necessario ac infallibiliter futurum est, ne alioquin scientia Dei reddatur fallibilis: sed iuxta hos auctores, Deus ante præuisionem absolutam liberæ cooperationis & determinationis nostræ, per scientiam mediæ præuiderit, hominem infallibiliter cooperaturum, si decerneret illi talem gratiæ congruam, etiam seclusâ interim præscientiæ absoluta eiusdem cooperationis & determinationis; quæ iuxta eisdem indubitate posterior est hoc decreto: Ergo posito decreto gratiæ illi congruæ, quod, vt dictum, ratione antecedit præscientiæ absolutæ cooperationis, adeoque etiam ipsam cooperationem futuram, necessario sequitur cooperatio & determinatio, opusque à Deo præfinitum. Ex quibus plane conuincitur, oppositam nostram assertioni sententiæ sibi ipsi hac in re constare non posse, vt etiam notauit Disp. de Deo & Attrib. Diuin. The. si 13. & rursum inferius moneo Disput. sequent. q. 7. dub. 5. vbi explico, qua ratione reprobatio cum libertate arbitrij consentiat.

21 Tertio deniq; probatur assertio, directa refutatione eius fundamenti, quod contra nostram sententiæ ex Anselmo obiiciunt. Aiunt enim, necessitatè antecedente, & quæ libertati repugnet, ab Anselmo vocari eam, quæ sequitur ex quauis hypothesi re & ratione ac natura antecedente liberam determinationem nostram: quod tamen in Anselmo nusquam legitur; nec ex verbis aut doctrina eius colligitur; Nec apud antiquos Scholasticos reperitur, vt in relatione secundæ sententiæ monui.

Etenim duob; in locis hac de re Anselmus agit, nimirum l. 2. *Cur Deus homo*. c. 18. & Optus. de Cõcord. præcient. & prædest. cap. seu tit. 1. & 2. Ex quibus ordine referemus ea numeris, seu capitib; aliquot distinctis, quæ ad præsens negotium faciunt.

I. Priori illo loco, nimirum lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. ita loquitur Anselmus: *Est namq; necessitas præcedens, qua causa est, vt sit res; & est necessitas sequens, quæ res facit: præcedens & efficiens necessitas est, cui dicitur cælum volui, quia necesse est, vt voluatur. Sequens verò, & qua nihil efficit, sed fit, est, cum dico, re ex necessitate loqui, quia loqueris: Cum enim hoc dico, scien-*

nihil

nihil facere posse, ut dicitur loqueris non loquaris; non quod aliquid te cogat ad loquendum; nam violentia naturalis conditionis cogit calum volui: te vero nulla necessitas facit loqui.

II. In posteriori loco opusculi de Concord. præf. cap. I. siue tit. I. hæc ad rem pertinent: Tradens enim primum modum conciliandi libertatem cum diuina præscientia, ait: Non debes dicere; præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum; sed præscit me DEVS peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum: Et ita sequitur; quia siue peccaueris, siue non peccaueris, utrumque sine necessitate erit: quia præscit Deus futurum esse sine necessitate, hoc, quod erit. Et mox inferius ibidem, cum obiectum fuisset Anselmo: necessitas videtur sonare conditionem, vel probationem, lege Prohibitionem: Quare si necesse est (supposita nimirum præscientia Dei, ut dixerat Anselmus) me peccare ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occultâ vi, ad voluntatem peccandi; & si non pecco, à peccandi voluntate prohiberi: quia propter necessitate videor inde peccare, si pecco, vel non peccare, si non pecco. Respondet Anselm: Et ergo sciendum est, quia saepe dicimur, necesse est, quod nulla vi esse cogitur, et necesse non esse, quod nulla prohibitione remouetur. Et sic ita, si dico, necesse est, esse te peccaturum vel non peccaturum, sola voluntate, sicut Deus præscit; non est intelligendum, quod aliquid prohibeat voluntatem, quæ non erit, aut cogat illam esse, quæ erit; hoc ipsum namque, præscit Deus, qui prævidet aliquid futurum ex sola voluntate. Sed voluntas non cogitur, aut prohibetur vlla alia re; quia sic ex libertate fit, quod fit ex voluntate. Si igitur hæc diligenter intelliguntur, puto, quia & præscientiam Dei, & libertatem arbitrij simul esse, nulla prohibet inconuenientia. Atque hæc pertinent ad priorem modum conciliandi libertatem cum præscientia, quo vitur Anselmus; quia nimirum hoc ipsum præscit Deus, hominem libere, & absque necessitate facturum, quod faciet.

III. Huic vero mox etiam subiungit alterum, quod in ipsa præscientia includatur futurum rei; seu potius respectus ad rem futuram; quia scientia, inquit, non est nisi veritatis: ut proinde præscientia diuina nullam antecedentem, sed solam consequentem necessitatem inferat. Vbi hæc inter alia habet. Quare cum dico, quia si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit: sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse, aut non esse. Ideo enim, quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse, aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse, aut non esse. Et infra: necessitate ergo omne futurum, futurum est; & cum futurum dicitur de futuro, si est futurum, futurum est, sed necessitate sequenti, quæ nihil esse cogit. &c. Id quod exemplo futuræ seditionis demonstrat; & mox subiungit. Aliquando vero est, ut res sit ex necessitate, quæ dicitur futura: ut si dico, cras esse futurum ortum solis, & seditio quidem, quæ non erit ex necessitate, sola sequenti necessitate futura asseritur, quia futura de futura dicitur; si enim cras futura est, necessitate futura est. Ortus vero solis duabus necessitatibus futurus intelligitur: scilicet & præcedenti, quæ facit id esse: ideo enim erit, quia necesse est ut sit, sequenti, quæ nihil cogit esse; quoniam idcirco necessitate futurus est, quia futurus est.

IV. Rursum reconciliando libertatem humanam, cum deceptâ diuinæ voluntatis, ita rationatur, & loquitur Anselmus: Quoniam enim,

quod DEVS vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. Et infra: Verum est, quia si vult homo peccare, necesse est eum peccare, sed ea necessitate, quam supra dixi nihil cogere, vel prohibere.

V. Denique sub finem docet, an scientia siue præscientia DEI sit rebus cognitis prior an posterior. Restat nunc, inquit, ut consideremus, cum DEVS omnia præscire, siue scire dicatur, utrum eius scientia sit à rebus, aut res habeat esse ab eius scientia. Et mox reiiciens priorem partem quaeriti, ait: Nam si DEVS à rebus habet scientiam, sequitur quod illa prius sint, quam eius scientia; & sic à DEO non sint, à quo nequeunt esse, nisi per eius scientiam. Quia vero ex alterâ parte sequi videbatur difficultas, quomodo Deus suâ scientiâ, siue præscientia res futuras causans non sit causa vel author malorum, ideo ad illud respondet, usque ad finem illius tituli, siue capituli.

VI. In sequenti vero titulo seu capite eiusdem opusculi, de concordia præscientiæ, speciatim agit de concordia prædestinationis cum libero arbitrio, ubi eam summam his verbis exponit: Pariter igitur, quamuis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ex necessitate, quæ præcedit rem, & facit; sed ea, quæ eam sequitur, sicut supra diximus: Non enim ea DEVS, quamuis prædestinat, facit voluntatem cogendo, & voluntati resistendo, sed in sua illa potestate dimittendo. Atque hæc sunt, quæ ad præsens institutum docet, & asserit Anselmus.

Ex quibus omnibus colligitur; non solum principium illud, quod authores oppositæ sententiæ obijciunt, nimirum necessitatem omnem, quæ oritur ex quacunque conditione antecedente liberam voluntatis determinationem, impedire libertatem, nusquam expresse apud Sanctum Anselmum reperiri; sed nec ex verbis eius colligi posse; nec omnino esse ex mente ipsius Anselmi. Primò. Quia Anselmus in conciliatione præscientiæ & prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio, nusquam eo vitur. Adhibet enim quidem nonnullam exemplum, in quibus necessitas oritur solum ex conditione subsequenti, aut etiam comitante liberam arbitrij determinationem; ut est illa, quæ oritur ex prædictione, seu fide vera rei futura: sed nusquam dicit, hæc esse adæquatam rationem necessitatis consequentis, prout antecedenti opponitur; cum utraq; adæquatè spectatam, longe aliter definiat, ut dicemus.

Secundò. Tota conciliatio præscientiæ & prædestinationis, iuxta Anselmum, in his tribus tribus consistit capitibus. Primum est. Quia DEVS hoc ipsum prævidet, & vult, seu prædestinat; hominem liberè operaturum: Ergo præscientiæ, & prædestinationis infallibilitas non tollit, sed ponit libertatem in operando; ut constat ex ijs, quæ ex ipso numero primo & quarto retulimus; eodemque modo de hæc re philosophantur sanctus Augustinus lib. I. ciuit. cap. 9.

& lib. 3. de lib. arbit. cap. 4. Sanctus Thomas 1. p. quæst. 22. articulo 4. & quæst. 23. articulo 6. & 7. & communiter Scholastici veteres, vt superius dictum.

Secundus modus conciliationis, est. Quia ipsa præscientia includitur respectus ad rem futuram; non quia iuxta Anselmum res prius ratione sit futura, quam præsciatur futura; hoc enim aperte repugnat ijs, quæ ex ipso retulimus numero 5. sed quia, vt ipsemet disertè se explicat supra numer. 3. scientia non est nisi veritatis. Quem ipsum planum modum conciliandi præscientiam cum libertate arbitrij, tradit, & ex Anselmo confirmat Gregorius de Valentia quæst. 14. punct. 5. ratione 3. nimirum eam ideo non pugnare cum libertate; quia est connexa cum ipsa operatione nostra futura, quæ est in nostra potestate, per respectum siue habitudinem illam, quam præscientia habet ad eum effectum, veluti obiectum. Vbi itidem cum Anselmo supponit, præscientiam esse causam obiecti præsciti, adeoque priorem ipso obiecto præcognito; & tamen nihilominus, quia respectum includit ad effectum præscitum, veluti ad obiectum, per se nihil obfata libertati effectus præcogniti.

Tertius denique modus conciliandi est, quia nec præscientia, nec prædestinatio adfert ullam necessitatem, cogendo voluntatem, aut ei resistendo, sed in sua eam potestate dimittendo, vt patet ex his quæ retulimus numero 2. & 6. Vbi rursum vides, nihil ad institutum ac mentem Anselmi facere principium illud, quod obijcitur.

27 Tertio proinde tantum abest, vt principium illud sit ad mentem Anselmi, vt ei potius aperte aduersetur: Nam, vt constat ex ijs, quæ retulimus ex ipso numero 5. Anselmus sentit, præscientiam diuinam esse causam rei seu effectus præsciti, adeoque eodem effectum esse priorem, & simul tamen aperte fatetur, præscientiam diuinam falli non posse, adeoque eam positam infallibiliter ac necessario sequi effectum præscitum, salua interim libertate, vt patet ex verbis relatis numero 3. Sentit ergo ipse, non omnem necessitatem, quæ oritur ex conditione, vel causa antecedente liberam determinationem voluntatis, pugnare cum libertate.

Quarto ipsa descriptio necessitatis antecedentis, & consequentis, quam in varijs locis superius relatis tradit Anselmus, satis hoc etiam comprobatur. Si enim omnia, quibus Anselmus vtramque necessitatem describit & explicat, conferantur, hæc efficitur descriptio: *Est necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res, vt ait numero 1. siue vt inferius ibidem ait, Quæ facit rem esse; seu vt ipse sæpius loquitur numero 1. 2. 3. 4. 6. quæ cogit aliquid esse, vel non esse: quando nimirum, vt idem loquitur numero 1. & 3. de ortu solis; ideo reserit, quia necesse est, vt sit.* Quibus locis omnibus indicat Anselmus, ad necessitatem antecedentem, in effectibus causæ secundæ, requiri necessitatem causæ necessario operantis; seu quæ provenit à causa necessario operante. Quod etiam constat ex doctrina Sancti Thomæ quæstio. 19. articulo 8. vbi nul-

lum effectum agnoscat necessarium, mediante causa secunda productum, nisi ad quem Deus destinavit causam secundam necessariam: & per se notum videtur, effectum respectu nullius causæ necessarium dici posse, absolute loquendo, nisi causa ad eum necessario concurrat.

Necessitas autem sequens ab Anselmo varie describitur. 1. *Quam res facit; Quam tamen solum inadæquatam esse, inferius demonstrabitur.* 2. *Quæ nihil efficit;* nimirum quia non oritur à causa necessario operante, vt dictum. 3. *Quæ nihil cogit esse, aut non esse;* vt habetur numero 1. 2. & 3. vbi expresse ait, necessitatem sequentem esse, *Quæ nihil esse cogit.* Vbi vocabulum *Cogit*, vtique non accipit propriè pro violentia; quando nec vis propriè inferri potest voluntati; & absque eam necessitas absoluta in actu voluntatis esse potest, vt cernere est in amore Beatorum: sed accipit pro transeunte determinatione, ad vnam partem, adimentione facultatem oppositum, seu aliter operandi. Quod spectat etiam illud, cum liberam esse voluntatem docet, quæ non cogitur aut prohibetur, hoc est, efficaciter ac interna vi non impeditur, vt aliquid faciat, aut ne faciat, vt patet ex verbis eius numero 3. relatis.

Denique ita plane seipsum interpretatur ipsemet Anselmus verbis numero 6. relatis; vbi propterea ait, præscita à Deo & prædestinata non euenire necessitate antecedente, quia Deus ea, quæ prædestinat, non facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa (legendum puto illam) potestate dimittendo: quæ ratio nulla esset, si antecedentem necessitatem, intellexisset omnem illam, quæ ex causa, aut conditione antecedente liberam determinationem oritur.

Nec obstant verba *Antecedentis, & sequentis*, seu *consequentis* necessitatis: quasi his ipsis verbis significetur necessitas quæ oritur ex aliquo quod antecedit, vel consequitur rem, aut voluntatem: esto enim hinc sumpta sit denominatio; alia tamen est vis & significatio genuina vocum: neque nouum est, vim & significationem nominum quandoque latius patere, aliquando etiam angustiore esse, quam sit etymon nominis, seu illud, à quo nomen desumptum est. Quod ex eo etiam euidenter est: nam Anselmus nusquam nominat his locis necessitatem *comitantem*; quæ nimirum oritur ex aliquo, neque antecedente, neque consequente rem, aut liberam voluntatis determinationem, sed comitante; quæque proinde nec propriè sequitur rem, neque rem antecedit; cum tamen, iuxta Anselmi diuisionem, eam sub necessitate sequente comprehendi, omnes consentiant. Ex quibus etiam patet, illam descriptionem necessitatis consequentis (sub qua etiam comitantem comprehendi diximus) relatum numero 1. quod sit ea, *quam res facit*, tamen quidem ad institutum Anselmi eo loco sufficeret, absolute tamen, ac re ipsa non esse integram, & vndiquaque perfectam; sed supplendam esse ex alijs Anselmi dictis & locis, vt nos fecimus. Atque hæc de S. Anselmo satis. Quæ insuper etiam confirmantur ex eo, quod S. Thomas, omisso tamen Anselmi no-

mine, idem profus argumentū proponit, eodemque modo dissoluit. i. p. q. 19. a. 8. ubi in argumēto tertio ita obijcit: *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute; sicut animal mori est necessarium: quia est ex contrariis compositum: sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem diuinam, sicut ad aliquid prius, à quo habent necessitatem; cum hæc conditionalis sit vera: si Deus aliquid vult, illud est: omnis autem conditionalis vera, est necessaria: sequitur ergo, quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolute.*

Ad quod ita respondet S. Thomas: *Dicendum, quod posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum, unde & ea, quæ sunt à voluntate diuina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere; scilicet vel absolutam vel conditionalitam tantum; & sic non omnia sunt necessaria absolute. Vbi expressè concedit S. Thomas, quod in minori argumēti propositione obijciebatur, omnes res creatæ, adeoq; etiam operationes liberas, comparari ad voluntatem diuinam, tanquam ad aliquid prius; & nihilominus tamen negat, absolute necessaria esse omnia; non ob aliam causam, quia nihilominus Deus potest velle & facere, vt sint absolute libera, non necessaria, &c.*

29 Sed neque Waldensis, in eodem argumēto obiectus, nostræ sententiæ aduersatur. Solū enim hæc tria docet. I. refert & approbat duplex genus necessitatis ex Anselmo; quorum vnum impediatur libertatem; alterum non item. II. damnat tanquam periculosam quorundam Doctorum sui temporis doctrinam, qui dicebant, non omnem necessitatem antecedentem impedire libertatem; nusquam autem dicit, necessitatem antecedentem esse, omnē illam, quæ oritur ex aliquo antecedente rem, aut liberā voluntatis determinationē; sed eā ita describit, quod sit illa, *secundū quā voluntas necessario agit, nec potest aliter agere, etiamsi veller; seu vt inferius ait; quæ cogit libertate.* Et tandē cōcludit, propterea nec præficientiā nec voluntatē Dei impedire voluntatē, quia per illam voluntas non limitatur, inquit; hoc est, non ita transeuntur determinatur, quo minus possit, & nō possit hoc facere, quod proponit. III. Reijcit etiā ex S. Augustino lib. 5. de ciuit. c. 10. in operibus liberis, necessitatem ab extrinsecō; admittit aliam, quæ est, inquit, *intra potestatem nostrā, quæ libertatem non tollit, sed supponit.*

30 Intelligit autē per necessitatem extrinsecā, non quæ voluntatem ipsam interius nō afficiat; sed quæ ab aliquo extrinsecō ita oritur, vt voluntas ab eo ipso non à seipsa intrinsecē determinetur: quomodo fato & astrorū influxu olim Stoici omnia necessitari dicebāt; cōtra quos ibi disputat S. Augustin⁹. Quo etiā sensu dici solet, aliquē necessariō cursurū, si solo oriente (atq; suo nimirū influxu ad hoc ipsum determinante) necessariō deberet currere: qualis tamen necessitas in nostro proposito minimē cernitur; cum ab extrinsecā illa præfinitione per se voluntas nostra minimē afficiatur: nec eius connaturalis agendi modus vllō modo immutetur: sine quo impossibile est, vt ab extrinsecō voluntas nostra absolute & verē necessitetur: vt plane etiā falsum sit, quod nonnulli oppositæ sententiæ authores dicunt, eiusmodi præfinitione voluntati non imponi quidem necessitatem intrinsecam,

sed extrinsecam: loquendo de vera, & absolute necessitate; siquidem libertas, cum sit aliquid intrinsecum homini, impossibile est, vt tollatur, quamdiu voluntas intrinsecē libera est, & non necessitata.

Ex quibus omnibus satis nunc patet responsio, ad fundamentum oppositæ sententiæ initio relatum. Etenim ommissa responsione quadam intelligibili ipsius Caietani, qua vitur quæst. 22. a. 4. quam bene refellunt Gregorius de Valentia, Bannes, Vasquez, & alij: ommissa etiam quorundam & veterum Scholasticorum (vt ex Waldensium retulimus) & recentiorum sententiā, qui dicunt, non omnem necessitatem antecedentem tollere libertatem; Respondeo, negando minorem. Ad probationem dico non bene ex Waldensium, & Anselmo, alijsq; veteribus Scholasticis definiri necessitatem antecedentē, vt hæctenus demonstratū est. Atque adhuc modum etiā Suarez l. 1. de auxili. c. 16. à n. 12. & l. 3. de auxili. c. 19. à n. 16. Anselmum remq; hanc totam explicat.

Qui tamen vtroque hoc loco etiam aliam solutionē adhibet, nimirū, suppositionē antecedentē quæ tollit libertatē, talem esse debere, vt non includat respectum ad aliam suppositionē consequentem, quam virtute includat, & in qua nitatur aliquo modo, saltem quantum ad hoc, vt ipsa exhiberi possit, alioqui illa suppositio iam non est omnino antecedens, & ille respectus, quem habet ad consequentem, satis est vt non tollat libertatem, vt sit in proposito. Nam licet Deus decretum eiusmodi prædefiniens habeat, antequam videat cooperationem nostram; necessario tamen supponit scientiā conditionalitam illius, sine qua, vt dictum, non posset Deus habere illud decretum: quo fit vt suppositio illa antecedens fundetur in suppositione consequente, & illam virtute includat. Ita sane Suarez. Quo fere modo etiam Gregorius de Valentia q. 23. p. 4. §. 6. ait necessitatem actus ex aliqua tali hypothesi, quæ neque est ipse actus, neque includit in se certum aliquem respectū ad exercitium eius, esse necessitatem simpliciter: tamen si mox inferius addat, ad libertatem non sufficere respectum solius scientiæ mediæ: quæ qua ratione inter se coherereat, non est opus hic fufius discutere: sufficit enim prior responsio.

31 Ad Damascenū, superius etiam obiectum, quod attinet, cū negare videtur, ea quæ sunt in potestate nostra, à Deo prædefiniri; necesse est, eū ab omnib⁹ vel cōmode explicari, vel reijci: cum oppositū planē constet ex dub. præced. assert. i. Inter varias autem explicationes, placet mihi illa, quam superius ex S. Thoma i. p. q. 23. a. 1. ad 1. retulimus, & communiter sequuntur Thomistæ; Damascenū solum excludere prædefinitionem illā, quæ imponit necessitatem, qualis in reb⁹ naturalib⁹ cernitur, quæ in nostra potestate nullo modo sunt positæ. Quod cōfirmari potest ex nomine græcō, quo vitur, nimirum *ἀπορίστος*, & *ἀερόλητος*; quod non solum interiorem Dei prædefinitionem, sed etiam determinationem extrinsecam, & transeuntem significat; sicut etiam S. Thomas lo. cit. eum locum sub nomine *prædeterminationis* refert: aut si inter virtutē & vitium, de quibus ibi loquitur Damascen⁹, volumus discrimen facere, vt ipse in subiuncta ratione facit, dicere debem⁹, Deū opus malū, ex mente

Damasceni, ideo non præfinire, quia ex seipso, atque ante determinationem liberam nostræ voluntatis non vult malum. Quo spectat ratio illa Anselmi; *neq. enim vitium admittere vult*: opus autem bonum non prædefinire, vel prædeterminare; nimirum prædefinitione necessitante, ac re ipsa determinante ad vnum, quia *virtuti vim non affert*, vt ipse ait. Et consonat hæc explicatio verbis illis Damasceni superius relatis, cum ait citat. lib. 2. de fide cap. vlt. *Quoniam diuina præscienti iustitiam opus est præfinitio*, seu potius prædeterminatio: vbi nomine operis, videtur externum & transeuntem. Dei effectum significare, ab internâ Dei iustitione seu ordinatione profectum. Eundem sensum habent illa verba, prout à Vasquio disp. 99. cap. 6. numero 39. referuntur: *Quocirca diuina iustitia, cum præscientia coniuncta, præfinitionem* (hoc est, determinationem transeuntem) *efficit*. Et mox subiungit: *Nam præscientia* (siue per præscientiam suam) *iam prælegit omnia DEVS, secundum bonitatem, & iustitiam suam*. Vbi vides, intrinsecam Dei præfinitionem in liberis actibus à Damasceno non negari, sed solam prædeterminationem transeuntem, ac necessitantem: vt proinde rectius locus ille vertatur, adhibito nomine, *prædeterminationis*, quam *præfinitionis*, vt dictum.

Et confirmatur denique assertio, & tota hæc doctrina, quâ pro eius defensione hæcenus attu-

limus: quia communis illa & recepta ex Almaino I. Moral. c. 2. cause libera definitio, quod videlicet omnibus requisitis ad agendum positis, potest velle, & non velle, agere & non agere, etiam iuxta nostram sententiam, libero arbitrio, non obstante diuina eiusmodi prædefinitione, planissime cõuenit: non solû quia prædefinitio ad agendum ex parte causæ secundæ prærequisita non est; sed etiam quia illa posita intrinsecè, ac in sensu diuino nihilominus arbitrium creatum æquè potest non agere, ac agere; etsi futurum nunquam sit, vt non agat; cum eâ posita infallibiliter agat. Quo fit, vt omnis, quæ ex præfinitione oritur, necessitas, solû sit *consequens*, nõ antecedens; *consequens*, non cõsequens; *hypothetica*, non absoluta; in sensu *composito*, non diuino; *infallibilitati*, non physica, seu coactionis, seu naturæ. Consentit his scriptura, dum indicat, Deum plane antecedenter posse quolibet inclinare humana corda, etiam saluâ libertate. Proverb. 21. v. 1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; & quocunq. voluerit, inclinabit illud*. Et in eundem sensum S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 14. *Deus sine dubio habet humanorum cordium, quo placet, inclinandum, Omnipotentissimam potestatem*. Plura de hac materia disp. seq. q. 1. dub. 5. & quæst. 6. dub. 3. & q. 7. dub. 5. In præfiniturum hæc, quæ diximus de præfiniturum difficultate, & tota hac quæstione sufficiant.

## QVÆSTIO XI.

### De Potentia DEI.

S. Thomas I. p. q. 25. aa. 6.



*Interponit quidem S. Thomas post quæstionem 19. de voluntate Dei, tractationem de prouidentia & prædestinatione Diuina; sed quia res hæc propriam disputationem exigit, nos continuando attributa Diuina, quæ ad operationem Dei pertinent, post tractationem de scientia & voluntate Dei, subiungimus hanc quæstionem de potentia Dei; quam absoluemus quinq. dubitationibus. I. An sit in Deo, aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnam in genere sit modus seu ratio concursus Diuini, quo vna cum causis secundis operatur ad extra. II. Sit ne potentia Dei operatiua ad extra formaliter ipse intellectus & voluntas Dei: an potius perfectio ratione ab vtrâq. distincta. III. An Diuina potentia sit infinita & vera Omnipotentia: & quodnam proprie sit obiectum potentia Diuina. IV. Possit ne Deus facere plura ac meliora, quam fecerit, aut facturum sit, etiam in infinitum. V. An vti ad operationes transeuntes, ita etiam ad immanentes, detur in Deo potentia actiua, ab illis ipsi operationibus immanentibus ratione distincta.*

#### DVBIVM I.

*An sit in Deo aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnam in genere sit modus seu ratio cõkursus Diuini, quo vna cum causis secundis operatur ad extra.*

S. Thom. I. p. q. 25. a. 1.

**N**on est hoc loco quæstio de potentia passiuâ, quam constat in Deo non esse; cum in eo nulla sit compositio, nec imperfectio; siquid est ens vndiqueque simplex, perfectum & infinitum, actusque purus, vt superius q. 1. 2. & seqq. diximus, sed

quæstio est de potentia actiua, non quidè hoc loco, ad actiones immanentes: etsi de hac, quasi ex occasione non nihil acturi simus, dub. 5. sed de potentia actiua transeunte; quæ videlicet terminatur ad operationes extra Deum positas; siue & sint operationes positivæ; siue quasi negatiuæ, aut priuatiuæ; seu potius subtractiones & suspensiones Diuinæ actionis.

Quo posito, de fide certum est primò, esse in Deo potentia operatiua ad extra: id quod ex scriptura alijsq; fidei principijs, satis constat, ex quæstione præced. vbi probauimus Deum voluntate agere, potissimum etiam ad extra: quando *omnia quæcumq. voluit Dominus fecit (& facit) in celo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Psal. 134 v. 6.*

Secundo